THEATRI ORBIS TERRARVM ENCHIRIDION,

MINORIBVS TABVLIS PER PHILIPPVM GALLÆVM EXARATVM:

Et Carmine Heroico, ex variis Geographis & Poëtis collecto,

Per HVGONEM FAVOLIVM *illustratum*.

Carolus
Carolus
Picoteaul.
1645.



Picoteaul
1645
Picoteaul.

ANTVVERPIÆ

Excudebat Philippo Gallæo Christophorus Plantinus.

M. D. LXXXV.

APOSTROPHE.

Dat Labor ingenium, Solertia procreat Artes,
Peruigil aßiduo Prudentia ſurgit ab
Mandatrix operũ Ratio, quæque inti
In varias Orbem deducit prouida partes.
Ipſe fauet Mundus propius ſcrutantibus ipſum,
Conceditq́ ſui ſpatiantem agnoſcere molem.

Æternus complet Cælum, Deus, Æquora, Terras:
Iure capax Mundus nil Ioue maius habet.



Requiescens a creatione Omnipotens mundum fortitudine sua sustentat, prudentia sua gubernat, et veritate sua illuminat. Venite et videte opera Dñi. Psal.

Hic qui vasta tenet habitacula totius Orbis,
In quibus ipse sedens interiora videt:
Prouidus & fortis, & Veri cinctus amictu
Omnia cælesti nostra fauore regit.

Asserit æternos Famæ præstantis honores
Gloria, scrutanti terras, atque extera regna.

TERRARVM *peragrare ſi quis Orbem*
Immenſum cupit, Aequoriſque vaſti
Anfractus varios, Lacus profundos,
Montes vmbriferos, ſuperba Regna,
Vrbes, flumina, concauaſque valles,
Diuiſas varij vel amnis vndis,
Aut ſtagnis, varia aut palude gentes:
Hic Enchiridij liber figura,
Et paruis tabulis dabit videnda
Terras, flumina, vaſta Regna, Gentes,
Aut noſtro, aut alio ſitas ſub orbe,
Et cinctum Pelagi Solum corona,
Et ſyluis iuga cincta ſaltuoſis.
Cuius ſint tabulæ licet puſillæ,
Nec culta vt decuit manu politæ:
Nunc incude noua, recuſa cuncta
Et lima vigili, abſolutiusque
Illuſtrata chely Fauoliana
Sunt factura viam expeditiorem:
Nempe vt carminibus queat Viator
Inſtans fallere tædium laboris,
Dum terræ varios locos frequentat,
Aut vaſti quatitur freti procellis,

Syluis deuius aut pererrat altis
Captus blanditiis profectionum.
Hæc paruo tibi tradit ære Gallus,
Gallus Pieridum decus sororum,
Gallus candidulis frequens amicis,
Gallus sculptilis exarator æris,
Notus per patulum Philippus orbem.



AD AMPLISSIMOS,

PRVDENTISSIMOSQVE VRBIS ANTVERPIANÆ CONSVLES,

CÆTEROSQVE SENATORII ORDINIS VIROS CLARISSIMOS;

HVGONIS FAVOLII *in Theatri Orbis terrarum Enchiridion,*

PRÆFATIO.



ORDIOR exiguis deducere finibus Orbem
Immensum, & paruis ingentia claudere chartis
Regna, lacus, vrbes, montes, mare, flumina, valles,
Et varias gentes tenui distinguere filo.
Alme sator rerum, tanti fundaminis author,
Qui Mare, qui terras, magnique volumina cæli
AEterni valida verbi virtute creasti.
Et vos æternæ Cæli omnipatentis alumnæ,
Quæ serie repetita, & certo fœdere, Cæli
Voluitis ingentes diuersis axibus orbes:
Vnde Patris, Superûmque nouis concentibus aures
Demulcet placidè vocum discordia concors,
Vnde suos tellus certo dat tempore fructus,
AEquoraque insanos tollunt ponuntque tumultus;
Hic mecum, ex facili nam vobis desuper omne
Est oculis lustrare solum, vastumque profundum;
Orbibus immensum paruis occludite Mundum.

Scal-

Scaldidos Antuerpæ magni ſacer ordo Senatus,
Conſiliis, factiſq; potens, pietate, fideque
Exculti Proceres, claris natalibus orti,
Veſtra per immenſum qui nomina ſpargitis Orbem,
Et regitis claram virtutum dotibus vrbem,
Scaldis arundiferis quam ſpumeus alluit vndis:
Quæ modò Belgarum cùm ſit ditiſſima ſedes,
Tot mercatorum gazas, tot ditia dona
Continet, & validi ſeruat munimine muri:
Tum quòd & huc properet variis mercator ab oris
Orbis, & innumeras aduectet ab æquore merces,
Vt meritò merces huc omni ex parte coactas
Diuitias, & opes hanc totius Orbis in vrbem
Atque omnem huc Mundi populum coiiſſe putares,
Hanc meritò, mundi variæ quas orbita gentes
Continet, aut noſtro, aut alio ſub ſole iacentes
Agnoſcunt Dominam, & ſancti conſulta Senatus
Mente colunt memori, & condignis laudibus ornant.
Hinc perſuaſa ſuos etiam mea Pieris auſus
Poſſe patrocinio, meritoque fauore tueri:
Nam decus hoc propriè veſtrum eſt venerande Senatus,
Dignis laude viris, animis linguiſque fauere:
Vt peragrata fuit (Dis aſpirantibus) amplæ
Immenſam Terræ molem, vaſtumque Profundum,
Necnon Ortelij duce, & auſpice vbique Theatro,
Occultos omnes Orbis ſcrutata receſſus,
Exactos memori reuocarat mente labores,
Quos vobis meritò gratæ pro munere mentis,
Virtutique dicare Patrum Famæque perenni
Conſtituit pia cura Deæ, vt quibus Orbis in oris
Quicunque iſta legent habitant, loca quæue frequentant,
Huic referant Vrbi grates, qua fortior armis,
Legibus, aut vix eſt inſtructior vlla reperta,

Artibus

Artibus aut variis, pēregrinæ aut pondere gazæ,
Aut ornamentis variis opulentior vlla.
Ergo mihi in talem audenti deſcendere campum,
Cuius lata nimis patet area, clare Senatus,
Dexter eris, dignam mentemq́ue animumq́ue benignus
Sufficies, placidoq́ue leges hæc carmina vultu:
Et patiere tuas extolli carmine laudes,
Et tua per totum celebrari nomina Mundum.
Tu qui Martini gaudes cognomine auito,
AEterna Gillelme tuis digniſſime factis
Et fama, & nunquam perituræ ſtamine vitæ,
Publica qui ſcriptis ſeruas decreta Senatus,
Et conſulta Patrum, Legeſq́ue immotaq́; iura,
Si iuuat Aoniis paulum ſecedere Muſis,
Atque oculis totum leuibus percurrere Mundum,
His modò, namque mei tu maxima cauſa laboris,
Immenſum paruis Orbem metire tabellis.
Vt quæ ſunt docto vulgata volumina poſſint
Nuper ab Ortelio totum ſcribentia Mundum
Nunc Enchiridij parua prodire figura.
Admonet hæc Gallus, quem non ductarier vltro
Promiſſiſq; diu, nec ſpe patiemur inani.



VNIVERSI TERRARVM ORBIS, ET CIRCVMIACENTIS OCEANI DESCRIPTIO.

INGENTI *Oceano paßim circundata tellus*
In speciemq́ Orbis magni glomerata, rotundam
Aëris in medio simul & sortita cauernam,
Fluctuat in toto ceu cymba rotatilis Orbe,
Vndique cingentis Pelagi lustrata corona.
Nam grauitate sua depressa, & densior, vda
Omniparens elementa sibi contraxit, & inde
Infima possedit centrali proxima puncto:
Quà liquidi fontes, quà stagna immensa, lacusq́
Fluminaq́ erumpunt summis è montibus orta:
Quæ partim varijsq́ locis sorbentur ab ipsa,
In freta decurrunt partim, campoq́ recepta
Liberioris aquæ, pro ripis littora pulsant:
Hincq́ frequens herbis, hinc fertilis vbere campus,
Et paßim herboso consurgunt vertice colles,
Nubiferi montes, & saxa minantia cælo,
Et nemora, & gelidi saltus, cũ vallibus imis.
Hanc habitant variæ Gentes, hominesq́, feræq́
Aëriæq́ colunt volucres, quæ pendula tota
In nullo posuit vnquam vestigia fundo.
Hoc opus in medio constructum corpore Mundi
Vis animæ diuina regit, sacroq́ meatu
Conspirat Deus, & certa ratione gubernat.
Atque plagis prudens circundedit vndique quinque.

Quarum

Quarum, quæ media eſt, vix eſt habitabilis æſtu:
Nix tegit alta duas, atque inter vtramque locata eſt
Florida temperies, mixta & cum frigore flamma.
Hanc quoque dilaniant diuerſo flamine Venti,
Cærula dum turbant abruptis æquora habenis.
Eurus ab Aurora, ſed quæ pars ſole tepeſcit
Occiduo ceßit Zephyro, ſeptémque triones
Hiberno Boreæ, qui ſæpe Aquilonibus inſtans,
Inducit gelidæ torpentia frigora brumæ.
At quæ Strimonia eſt arcto contraria tellus
Nubibus aßiduis, pluuióque madeſcit ab Auſtro.
Hos inter binæ mediis è flatibus auræ
Expirant ſimiles mutato nomine flatus.
Hæc etiam in ternas diuiſa eſt ordine partes,
Iupiter antè nouum quàm nobis conderet orbem:
Europen, Aſiamq́, & quæ patet vndique Mauris
Africam, anhelantis Libyes fera rura timentem.
Aurea poſtremis effulſit America ſeclis,
Atque Magellano vix cognita terra ſub axe.
Mille iacent mediæ diffuſa per æquora terræ,
Ignotæ, notæq́ ſimul, quas diuite cenſu
Pandit, & ingenti digeßit mole Theatri
Ortelius, terras luſtrans vaſtúmque Profundum.


Tipus orbis Terrarum
Septen
Circulus arcticus
America sive India noua
A° 1492 a Christophoro Colombo
nomine regis Castelle primu detecta
Anian regnum
Quiuira regnum
Toton teac
Chilago
Noua Francia
Estotilant
Terra de Baccalaos
Grutlant
Noruegia
Europa
Germania
Gallia
Russia
Tartaria
Asia
Mongol
Cathaio
China
Turchesta
Corasan
Persia
Natolia
Arabia
India Orientalis
Barbaria
Aegiptus
Africa
Nubia
Abissini
Tropicus Cancri
Mar del nort
Archipelago di S. Lazaro
Circulus Aequinoctialis
Mar Del Zur
Peru
Brasil
Amasones
Cariba
Oceanus Aethiopicus
Rio de la Plata
Chile
Chica
Tropicus Capricorni
El Mar Pacifico
C. Bone Spei
Mar Di India
Zeilan
Sumatra
Iava maior
Iava minor
Mindanao
Los Romeros
Prom. Terre Australis
Terra del Fuego
Circulus Antarcticus
TERRA AVSTRALIS NONDVM COGNITA
Meri dies
Quid ei potest videri Magnum in rebus humanis cui aeternitas
Omnis totius que mundi nota sit magnitudo cicero A° 1574



QVINQVE ter exactis, dempta trieteride, sæclis
Atque vno, Christi post incunabula, lustro,
Fertilis Oceanus laxabat vincula rerum,
Et patuit tellus peregrino nata sub axe,
Vastaq; sulcabat mandato Regis Iberi
Æquora Vespusius nullo vnquam exercita pinu.
Quæ subiecta fero sitientis sidere Cancri
Gurgite feruentes exhalant sæpe vapores.
Cúmque diu Eoo violentis flatibus Eurus
Oceani fluctus pulsaret clarus ab ortu,
Et ratis occidui sulcaret littora Ponti,
Feruidus extendit quà torrida brachia Cancer:
Aurea velifero sub curuæ vertice proræ
Postremùm cupidis emersit America nautis.
Nomen ab inuentore datum, cúmque incola diues
Sítque auro, & gemmis, peregrina & merce beatus,

More

More tamen patrio nudus procedit, opertus
Alituum è varijs contexto ſyrmate plumis.
Terra ferax auri eſt, Cereris pro munere flauæ
Vrgentem radice famem compeſcit acuta,
Et frutice è viridi mellis ſtillante liquore.
Hæc tenui binas Iſthmo deducta per oras,
Stridentem verſus Boream, ſeptémque triones,
Hiſpanamq; nouam, Florentemq; & Meſicanam
Continet: At rerum quà Phœbus contrahit vmbras
Lucidus in media cæli regione locatus,
Breſiliam, atque auro Peruuina micantia tecta,
Plenáque aromatico complectitur arua liquore,
Fluminaq; argenti, atque auri fœcunda metallo.
Arcu turba minax atque arte perita natandi,
Carnibus humanis, & ſanguine veſcitur atro,
Auro, pro galea tegitur, domus aurea viſa eſt,
Vlla fides ſcriptis fuerit ſi danda Girauæ.

ASIA 3.

IMPERIOSA, *potens regnis, & diuite cenſu*
Fertilis eſt Aſia, & populo poſſeſſa potenti,
Moribus incultis, trino qui numine ſpreto,
Aeterni, veríque Patris, & Flaminis almi,
Nota prius, nunc ſacra negat myſteria Chriſti,
Falſa ſequens falſi Mahometis dogmata, cuius
Imperio Chriſti gens Luſitana ſubegit
Regna aliquot, Regíſque ſui iuga ferre coëgit.
Tangitur Oceano tribus hæc è partibus amplo,
Qui diuerſa tribus ex his tria nomina ſumpſit.
Namq; Scythis qua parte patet, rigidoſq; triones
Aſpicit, à regno Scythicum dixere priores.
Et quà Sol medium celſus conſcendit Olympum,
Aut Aurora nouo conſpergit lumine terras,

Accepit



Accepit variis varium cognomen ab Indis.
Quartum Europa latus concreto frigore claudit
Ad gelidum Tanaimq́; Borysthenidosq́; Rutenos.
Partem aliam gracilis terra secludit ab Afra
Isthmus, Erythræis quassatus fluctibus, atque
AEquore Tyrrheno, Syriæ ad deserta Suessæ:
Quà longæuus Arabs, & quà Nysæuus Hydaspes
Mittit odoratas ditißima munera messes,
Assyrios fucos, pigmenta, & aromata, quæq́;
Distillant fuluæ lachrymas de cortice Myrrhæ,
Cinnamáque, & croceum gummi, Casiámque rubentem,
Gratáque odorato stillantia balsama ligno:
Nec non Eoo lectas in littore conchas
Mittit, & extremo quæsitos Orbe lapillos.
Hæc etiam in partes distinguitur ordine quinque,

Assyrios,

Aſſyrios, Medos, poſitoſq́ ſub ignibus Indos,
Et Babylona, ſuo quæ crimine corruit olim,
Inq́ pharetratæ Danaæam Perſidos oram.

AFRICA, 4.



AFRICA pars Mundi latiſsima, frigoris expers,
Vnica præ cunctis feruore notabilis ipſo,
Vaſta quidem, ſed crebra minus populiſque, viriſque,
Plurima per totum transfert commercia mundum.
In qua deſerti ſerpentum afflamine campi
Vruntur paßim, ſicciſq́ teguntur arenis.
Et niſi nox gelida contemperet omnia rore,
Terra diu ſolis magno incandeſceret æſtu.
Quattuor in partes diuiſa eſt ordine, quarum
Prima eſt Barbaries, Libyco vicina calori,

Nigritæ medij, Numidæq; armenta colentes.
Hi quondam fidei ſacro primordia fonte
Accepere, pios Christi & cum dogmate ritus:
Nunc verò abiecto veræ pietatis amore
Sydera nec norunt, atri nec lurida Ditis
Oſtia, ſed mentem toto cum corpore credunt
Occidere, atque alia cũ forma poſſe reuerti.
Preſterus at Ianus nunc hîc terráque mariq;
Imperium exercet, medio ſub climate Mundi,
Sacraq; verbigenæ obſeruat myſteria Christi,
Funereamq; crucem Ducis altitonantis adorat.
Quà vagus, vt fama eſt, ſeptena per oſtia Nilus
Qui ſemel Aegyptum toto ſacer irrigat anno,
Accipit incertum Lunæ ſub montibus ortum.
Hæc quondam Libya eſt vocitata, & dicta Latinis
Africa, quòd careat brumali frigore terra.
Incipit Herculeis à Gadibus vſque calentes
AEgypti fines, ſed quà ſe extendit in Auſtrum,
Verberat Aethiopum terras auſtrale Profundum.
Tertia ad Eleocath, deſertáque Birdina tendit,
Quà matutinis ſurgens Sol roribus Orbem
Conſpergit, Niliq; vagos contemperat alueos.
Occidui pars quarta freti torquetur ab vndis,
Atla quibus proprio feciſti à nomine nomen.
Zanzibar à medio contendens climate Mundi
Sydera cornigeri verſus auſtralia Capri,
Coſmographis fuerat quondam malè cognita priſcis,
Totáque diffuſo latuiſſet in æquore tellus,
Ni freta ſolliciti ſulcant dum turgida nautæ,
Cognita per Syrtes fatali ſorte fuiſſet.

EVRO-

VICTORIS *populi, terrarumq́; optima nutrix*
Europe, tua si virtus, si gloria fulgens,
Si fortes animi, magnisq́; laboribus apti,
Si promptum pectus, sed iniquo sydere natum
Cessisset patriis pellendis hostibus armis:
Non tua sic auidus laceraret viscera miles,
Passa nec ipsa fores vrgeri hostilibus armis:
Fortia non tua sic latrantibus vndiq; bellis
Oppida concuteret violentis machina flammis.
Sed non consuetis potuit natura fugari
Sedibus, irrumpunt in mutua vulnera ciues,
Ipsaq; dum propriis sorte, & contenta tuisq́;
Rebus eras, fueras nulli expugnabilis armis.
Vel postquam vlterius placuit diffundere vires,
Non Afri, non AEthiopes, non decolor Indus,
Vnquam victrici potuere resistere dextræ.
Terra potens opibus, tum diuitis vbere glebæ,
Argentoq́;, auroq́;, & fului mole metalli,
Regna quater septena suo complectitur orbe,
Quorum summa tenet moderamina maxima Roma,
Roma animos quondam fundens ad sydera celsa,
Nunc Reges diuosq́; ferens, Diuûmq́; ministros,
Sacra quibus mandata Deûm sunt templa tueri,
Et populi errantis passim inuigilare saluti.
Indidit huic proprium regioni cærula nomen
Tergore vecta Iouis medias Europa per vndas.
Germanos claudit Boreas, Pars altera semper
Tyrrheni tumidis torquetur ab æquoris vndis,
Hesperiæ geniti tumido sub vertice Calpes.
Tertia pars Tanai glaciali occluditur, atque
Euxino Ponto, longisq́; Propontidos vndis.
Ipsa sed occiduo quæ littora sole tepescunt
Oceani clauduntur aquis, atque vltima Thule

EVROPAE

MARE SEPTENRIONALE

Gronlan- diae Pars

Islandia

Norvegia

Farre Insule

Labrador

Ocea-Hyperboreus

Scotia

Anglia

Occidentalis Oceanus

Aquitanicus Oceanus

Hispania

Condora

Permia

Tartaria

Oceanus Schthicus

ASIAE PARS

Turchestan

Cumani

Cattachi

Mare de bachu olim Caspium

Mare Magiore

Natolia

Amalia

Aldinelli

Carmania

Turcomani

Persia

Mesopotamia

Soria Iudea

ARABIA

MARE

MEDITERRANEVM

Candia

Sicilia

Aegiptus

AFRICAE

Praga

podolia

Aſpicit innata tumidos grauitate Britannos:
Qua gelidus Boreas Aquilonibus inſtat acutis.

ANGLIA, 6.



CLAVDITVR *Oceáno ſpatioſa Britannia ponto,*
Inſula diues opum, & pingui ditiſſima gleba,
Terra ferax nemorum, Cereali munere præſtans,
Nobilis & ſtanno, atque excellens vellere lanæ.
Saxa vetus cuius mutarunt candida nomen,
Omnia totius cingentia littora Regni.
Albion vnde fuit, veteriq; Predanica lingua
Dicta, vetus ſedes Troianæ ab origine gentis
Palladis hortatu: Pulſis quibus Angela quondam
Saxoniæ Regina potens, dum imperuia Thules
Saxa legit, gelido multum contermina Plauſtro,

Indere conata est patrias cum nomine leges,
Angeláque, à populis diuisis ordine terris
Dicta fuit: Melior fuit at sententia vulgi,
Angulus vt fuerit Mundi sic angula dicta.
Diuidit hanc Tuæda à Scottorum finibus amplo
Gurgite, quos gelido glacialis Parrhasis axe
Et piger Arctophylax algenti frigore torquent.
Anglia nimbiferum vergens fœcunda sub austrum
Lanigerósque greges, armentaq; bucera profert,
Et demittentes crurum tenus vbera vaccas:
Quæ modò quà veniunt Zephyri sub sole cadente,
Insula Sabrinæ liquidis discernitur vndis.
Hic vbi sublimes turres Noua Venta Silurum
Exeruit quondam, quæ nunc deformia tantum
Rudera, & antiquas tota externata ruinas
Ad sinuosa Vagæ torrentis flumina monstrat.
Hic partis fulget spoliis præclara Theoci
Curia, Sabrinæ quà se committit Auona,
Admittítque cauas tuta statione carinas.
Hæc quondam antiquis præscripto Cambria iure
Dicta fuit, Regum natis clarissima sedes,
Principis & nati iampridem Regia prima.
Namque hic pubentes titulos, & nomen honorum,
Agnatæq; capit primas ditionis habenas.
Aspicit occiduum montana Corinia solem
Longa quidem regio, Tamaræ quà fluminis vnda
Defluit à Borea, & cursu contendit in Austrum.
At Dea, quà patulos sinuosis flexibus Amnis.
Albionis discernit agros, sua flumina apertum
Mittit in Oceanum, prope clari mœnia Chestri.
Hæc quòd turrigeris circundata plurima vallis
Oppida contineat, vulgò modò Wallia dicta est:
Vel quòd Saxonicos fugientes fortè furores

Indigenæ

Indigenæ abdiderint his ſeſe montibus, aut quòd
Cornua bina velut duo promontoria Hibernum
Solis ad occaſum Regio protendat in æquor,
Et populus Wallus, Pars & Corn-Wallia dicta eſt:
Quæ modò Venedotas corrupto nomine gentes,
Maſſagetáſque tenet, tum picta fronte Silures.

SCOTIA 7.




E F F E R A *gens quondam, crudelis & aſpera bello,*
Quà ferus Otryſia Boreas deſæuit ab Arcto,
Flumine torrenti Tuadæ diuiſa Britannis,
Viuebat paſsim rapto, legalia nunquam
Frena pati docilis, domino aut parere potenti,
Sed tantum incultis magalia figere ſiluis
Contenta, atque larem externos vectare per agros.

Expulit hanc armis Scotus, & glacialis Hyberne,
Inq; suas leges ditionemq; omne reduxit
Imperium, cepitq; nouas regionis habenas.
Indidit & proprium gentis de nomine nomen,
Optatum rebus certans imponere Regem.
Vtq; secunda fuit vocitata Britannia priscis
Romanis, sic post est dicta Albania, tanquam
AEmula Romanæ fuerit quæ viribus Albæ
AEternum aduersus Albani nominis hostes
Seruatura quidem bello insuperabile robur.
Grampius hanc duplici regionem diuidit ora
In partesq; secat binas, quarum altior atris
Rupibus, & scopulis, & syrtibus vndique plena
Continet agrestem, & piloso corpore gentem.
Altera, quam vario fœcundant plurima nexu
Flumina, culta magis, populoq; habitata venusto,
Moribus vrbanis multo est ciuilior, atque
Crebra vadis, lacubus, plenisq; paludibus alnis.
Pictorum Mons est hic terminus, atque Scotorum:
Granziba vulgari varia ob curuamina lingua
Dictus, Hyperboreis niuibus, tum grandine quòd sit
Albus, apex cuius consurgit ad astra pruina.
Est in conspectu qua sese valle Lomundus
Explicat, imbelli pecori gratissima tellus,
Gramine odorifero, & fœcunda virentibus herbis.
Quæ, dum crescit hyems, omniq; ex parte feroces
Bella gerunt venti, fretaq; indignantia turbant,
Fluctuat huc illuc, collesque, domusq; recedunt,
Totaq; per fluctus natat insula vecta palustres:
Vt quandoque omnes terras supereminet, imas
Quandoque incuruo vix tangat gurgite ripas.
Regia Edenburgum sedes præclara superbas
Exerit & turres, atque Arcis culmina celsæ,

Quæ sæpe Oceani concussa ferocibus vndis,
Excipiunt fessas tuta statione carinas.
Non procul hinc etiam sinuosi in rupe cauata
Littoris, atque ipsa stagnorum in valle recurua,
Fons oritur viuus, vitrea pellucidus vnda,
Nais vbi implacidis immurmurat vda susurris
Aßiduè stagnantis aquæ, sensimque cadentis.
Qui rursum in latebras vbi iam consumitur, edit
Aduersus scabiem medicamen pingue malignam.
Hebrides hic paßim diffusa per æquora sparsæ
Occiduas seruant partes, sed & Orcades Axem,
Plaustráque Ripheis nunquam viduata pruinis.

HYBERNIA, 8.

QVATTVOR *in partes diuisa est omnis Hyberna*
Insula, & Oceano latè circunflua ponto.
Quarum quæ medium spectat Mommonia solem
Dicta fuit, spectat rigidos Hultona triones,
Tertia sed solis surgentia lumina cernit
Laginia, occiduam Connachia continet oram.
Diuidit has Suyrus, & flumine Sinneus vdo,
Lambens Lymiricam contractis mœnibus vrbem.
Aspicit ortiuo flauos sub sole Britannos
Insula, & Oceano medio torquetur ab orbe.
Vltima dehinc Thule rigida spectata sub Vrsa,
Oppositoq; gelu, & concreto frigore torpet.
Terra ferax pecoris, montanis peruia vbíque
Fontibus, & syluis, & opaci gramine campi est,
Et lactis tepidi, & redolentis mellis abundans.
Tristibus at pluuiis, sæuísque obnoxia ventis
Vix segetis canas stantes producit aristas.



Gramine fertilior, Cereris quam munere lætæ
Stagnáque perspicuíque lacus, vitreíque paludes
Innumeros fundunt sinuato è gurgite pisces.
Falcones, Nisos, Aquilásque, Gruésque sub altis
Producit scopulis. Spinosis hispida pars est
Vepribus Hultonæ, & famoso nobilis antro
Patritij, quo animas dicunt purgamine solui.
Ipsáque pars Erno lacui vicina, vaporo
Flumine, & vndosis fuit obruta fluctibus, atra
Ob delicta Patrum, crimen Venerisq; nefandæ,
Cùm Deus & gentem terra obruit, atque Profundo,
Et facinus sæua miserorum morte piauit.



INSVLA diues opum, pingui ditißima gleba,
Æquoris Atlantui tumidis torquetur ab vndis
Nomine TerZera, innumeris quæ consita Cedris
Inter odoratæ bene olentia germina Citri
Per freta flagrantes Atlantica spirat odores.
Hanc quondam, vt fama est, Flandrorum nautica pubes
Et Lusitana cohors iunctis adiere carinis,
Æquora dum peragunt validis Atlantica remis,
Æstifer infesto torquet quæ lumine Cancer.
Vnde hunc cùm raris habitatum fortè colonis
Aspexere locum, firmas hic figere sedes
Constituunt, proprios atque huc transferre penates
Allecti nouitate loci, cælique salubris
Conditione, lares sortitique ordine, firma
Fundamenta locant, & magnis molibus instant

Certatim

Certatim tuto fessos se condere portu,
Molirique arces, & propugnacula fossis.
At Lusitana cohors fatis felicibus urbem
Condidit, & duplici muniuit flumine muros:
Indidit & patria de consuetudine nomen
Angra, quòd angusto pateat cum tramite portus,
Immineat fessis ratibus non infimus angor.
Hinc subiecta manet Lusitano hoc tempore Regi,
Qui populum vnanimem tranquilla pace gubernans
Accepit summas regionis & vrbis habenas.
Fertilis est regio, cultissima germine odoro,
Ruricolæ Cereri, & tenero gratissima Baccho:
Et licet excelsis consurgat montibus, atque
Per iuga decerpant teneræ virgulta capellæ:
Attamen innumeras mali pomaria Citri
Ostentant species, & odore, & nomine, & ipsa
Dissimiles forma, nec ijs sapor omnibus vnus.
Hic melo passim grauida qui nascitur aluo
Reptat, & in ventrem cucumis concretus auarum,
Immensa ingluuie, longóque cucurbita collo.
Cæruleóque tumens Isatis per culta colore
Tingendis colitur magno cum fœnore lanis.
Hanc circum scopuli, tum stantes æquore cautes
Externas proprio prohibent à littore puppes.
Quis neget Hesperidum latitasse his collibus hortos,
Malaq; peruigili multum seruata dracone?



TAVRINO *in terram protenso Hispania tergo*
Aßimilis, fluctu Oceani pæne vndique circum
Cingitur, excepta qua parte orientia Solis
Lumina, & Auroræ formosa cubilia cernit,
Quáque Pyrenæi nimboso vertice montes
Diuisos lato spectant discrimine Gallos:
Qui freta disturbant niuibus spumosa solutis
Cantabrica excelsæ ad Baionæ mœnia, prisco
Tempore quæ referunt Vada dicta Augusta fuisse.
Bis septena suo regalia continet orbe
Regna, Duces septem ter, Cantaber ordine primo
Vasconas adiunctos firmo sibi fœdere vellet.
Tarracon ad Cingæ decliuas fluminis vndas,
Terminat vndoso Catalaunica limite regna:
Quà freta falcato turbans Balearica cursu

Amnibus

Amnibus innumeris præceps defertur Iberus,
Quattuor & longa regiones terminat ora.
Amne Pelendoniis descendens collibus amplo
Durius, irriguis Lusitanos terminat vndis
Vna parte: Alia latebrosis ecce cauernis
Millia per septem se occultans atque resurgens,
Occiduo Guadianus Anas sese æquore mergit,
Præteriens tenui extremas curuamine Duras.
Aurifer è medio, diti vicinus Vlispo
In mare prorumpit Tagus auricoloribus vndis.
Ipseq; in occiduum celso sub vertice Calpes
Labitur Oceanum diuerso tramite Betis,
Betis oliuiferæ linquens sua nomina terræ:
Aurea perspicuis intingit vellera lymphis.
Quæ pòst Vandalicis exhausta furoribus, vti
Vocibus est duris victorum sæpe coacta,
Et Vandalicia vulgari nomine dicta,
Nunc Andalusia est corrupta voce vocata.
Gens elata grauis, & fastu plena superbo est,
Plena superstitione, & anili vana timore,
Indolis egregiæ, atque inuicto robore præstans,
Doctrinæ cupida, & sæuis aptißima bellis.



FERTILIS agnatis regio circunsita Iberis
Quà grauidæ surgunt fruges, gratóque virescunt
Pinguibus in campis vineta madentia Baccho,
Imperium latè terraq; mariq; gerebat:
Inque potens Regnum deducta est, Orbe redempto
Exactis lustris vndena ad secla duobus.
Quæ quòd blanda quies, statio opportuna carinis
Aut portus fuerit venientibus æquore Gallis,
Antiquum retinet modò Portugallia nomen.
Hanc dedit Henrico Lotaringo ob martia facta,
Et bello partos titulos, clarosq; triumphos,
Regia sceptra tenens Castellæ Alphonsus aquosæ,
Dum Saracenorum spolijs, atque hoste perempto,
Oppressam immiti miseraq; Tyrannide gentem
Hispanam externa victor formidine soluit:

Et Sa-

Et Saracenorum Hiſpanis profligat ab oris
Imperium, magna rerum virtute potitus.
Vnde illi indicijs pro gratæ cedere mentis
Imperio ſpondet Regni, & cum fœdere natam
Coniugio iungit ſtabili, propriamq́ dicauit.
Huic noua ſucceſsit ſoboles, virtute paterna,
Qui Regno reliquos exacta à cæde relictos
Expulit, & vicit duro certamine Mauros:
Donec Vlyſponnæ iam tandem victor in aruis
Conſtitit armipotens, & partum pace tuetur.
Regibus hic victis vno certamine quinque,
Scuta triumphator poſuit victricia quinque,
Vt ſeri hoc olim valeant meminiſſe nepotes.
Minius in molles Zephyros excurrit, & oras
Terminat extremas regionis flumine denſo;
Dum Tagus aurifluo delabens gurgite fuluum
Commiſcet terræ glebis ardentibus aurum.
Et Guadianus Anas Hiſpanæ terminus oræ
Sub iuga prærupti deſcendens frondea montis
Arua pruinoſo fæcundat Bætica rore.
Gens aſſueta cauis glaucum mare ſcindere velis,
Atque Larem externos proprium vectare per Afros,
AEthiopas, Perſas, Arabas, Nabathæaq́ regna
Subdidit Imperio, poſitoſq́ ſub ignibus Indos.

MAGNA virûm frugúmque parens Mauortia tellus
Gallia, stelligero non multum dispar Olympo,
Plena bonis, aliis bene cognita partibus Orbis,
Attollit celsum caput vt Regina locorum
Astra super, multis circumfamulantibus oris:
Quam Diui prima Saturni ætate colebant,
Quam simul Antipodes, simul omnis inhospita tellus
Merce beant varia, variis ornantq́; trophæis,
Et variè circum solemni laude coronant.
Cultrix illa quidem Phœbi est, Phœbíque sororum,
Et sua Pimpleæ celebrant præconia Diuæ.
Inclyta gens bello est, & ad horrida promptior arma,
Quondam Cæsareis nimis æmula terra triumphis:
Rege potens Diuo, nutrix fæcunda virorum,
Diues agris, fæcunda mero, mansueta colonis.
Hæc fuit ob lactis galatæum dicta colorem,
Gentis & insignem candorem, Gallia priscis:
Qui tamen Hebræa mallint deducere voce,
Hanc à diluuio contendunt esse relictam,
Atque hinc contractum pluuiali nomen ab vnda.
Nam vetus hæc gens est, sapiens, veneranda, venusta,
Quam quondam ornarunt ingentia & aurea facta.
Quicquid terrarum à Rheno, per cærula magni
Clauditur Oceani gelido venientis ab Axe,
Per iuga Pyrenes, Tyrrheniq́; æquora Ponti,
Atque per excelsum longi caput Apennini,
Vsque sub extremas Piceni littoris oras:
Dorica vbi patulis residens in collibus Ancon
Tranquillos pandit sinuosa in brachia portus:
Gallia communi vocitatum est nomine quondam.
Nam qua Phœbus equos solitus currumq́; lauare est
Parte, Pyrenæi procero vertice montis

Clau-

Clauditur, Hiſpanis procul haud diſtantis ab oris.
Sic quà Sarmaticus Boreas, Septémque triones
Inducunt noſtris mordentia frigora terris,
Et Gallo, atque ſalo circumuallata Britanno eſt.
At Vada Teutonici ſeruant vaſtiſsima Rheni,
Quas Aurora nouo conſpergit lumine terras.
Narbonenſe fretum medium conceſsit ad Orbem,
Celſus vbi medio conſurgit in æthera Titan,
Dum medius rerum proſtratas contrahit vmbras,
Mitis Atax gaudet Latias vbi ferre carinas,
Atque ſalum Rhodanus Tyrrhenum fluctibus auget,
Et Mariana freti deducta ad littora foſſa
Oſtrifero totum fœcundat gurgite regnum.


DESCRIPTIO GALLIAE
SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
Anglice pars
MARE BRITANNICVM
GERMANIAE
Milliaria Gallica Communia
ITALIAE PARS
HISPANIAE PARS
Pirenei montes
Corlice insulæ Pars
Alpes montes
Navarre
Arragon
Bearn
Bretaigne
Normandie
Picardie
Champagne
Bourgogne
Poictou
Xantoigne
Auvergne
Berry
Lionnois
Dauphine
Prouence
Sauoye
Lombardie
Limosin
Vellay
Geuoudan
Foreft
Caux
Lorraine



OBTINVIT medias Biturix vberrima ripas,
Gallia fæcundo quas circumplectitur orbe,
Plurima quæ variis coniungens flumina stagnis,
Et pecori multo, Cererisq́; & munere læta est:
Capripedi pergrata Deo, placidæq́; Mineruæ.
Hinc gens Auaricum spaciosam mœnibus vrbem
Villosi arietis exornat vellere pingui.
Vrbs vetus Auaricum est, circumfamulantia paßim
Rura tenet, flauo multum generosa falerno.
Turribus à binis Bituris quæ dicta, duorum
Sustulit Imperium fausto moderamine fratrum,
Felix pòst studijs, & gaza diuite, tellus
Plena bonis, & amæna situ est, & læta racemis.
Ipsáque Sanxerre Ligeris contermina ripis
Extremos varia fæcundat merce Britannos,

Quæ

Quæ dum ſincero ſacratum pectore Numen
Vnius Triniq́ Dei reuerenter adorat,
Expellitque vafros veris ab ouilibus hædos,
Mæſta cruore madet proprio, & Mauorte ſiniſtro,
Martyriique ſibi peperit memorabile nomen.
Nec minus antiquis iacet Argentora ruinis
Nobilis, & grato Cybelæi munere Bacchi,
Viticoma reliquis diuiſa à partibus vlmo.

ANDEGAVENSIS DVCATVS, 14.



TERRA ferax Ligeris riguo roratur ab amne
Andegauum, tenero Baccho, gratiſſima, & altis
Læta iugis nemorum, ſed multo lætior aruis
Et plenis ſegete, & plenis bene olentibus herbis.
Paſcua lanigeræ pecudes viridantia carpunt,


Tran-

Transcenduntq́; iuga, & ter mille in vallibus imis
Plaustra boues ceruice trahunt stridentia dura:
Dum tenera attondent pauidæ virgulta capellæ.
Vrbs vetus Andicanum media in regione locata,
Quam præter properans defertur flumine Maina,
Exerit ad patulos ingentia mœnia colles,
Ingentesq́; arces, & magnis molibus ædes
Extructas, solido & surgentia mœnia saxo,
Templáque Diuorum primæuis edita ab annis.
Hic veterum sedes, hic quondam regia Regum
Alta fuit: namque hic quondam regaliter ædes
Extructas videas trahere in vada cæca ruinas,
Aurea vt ostentant antiqui signa theatri.

LIMANIA, *15.*

D I V E S *opum, diues pecoris, & fertilis vuis*
Læta quasi indigenis præbens alimonia, vel quòd
Cespite limoso tellus producat ad vsus
Omnia quæ sapiens potuit natura creare,
Est veteri quondam vocitata Limania voce.
Argentique ferax regio est, fæcunda metallo,
Perspicui viuo manant vbi marmore fontes,
Et nitidæ reparant languentia corpora thermæ.
Deficiunt nunquam hic Cereris vel munera Bacchi,
Lanigeróśque greges, armentaq́; bucera profert,
Auritos lepores, agiles & corpore Damas,
Alituum, pecudumq́; genus, caprasq́; sequaces:
Quæ producta vagis lentísque paludibus aruis,
Cuncta paludosæ pascuntur gramine vallis;
Margine dum querulo delabitur Elauer amnis,
Elauer Hesperio multum opportunus Iulo,
Agmina dum dulci reficit Romana liquore.

Hic liquidum grauida manat tellure Bitumen,
Lurida quà patulos exornant gramina colles:
Quod craßis sese commiscens fluminis vndis,
Glutinat & scopulos, disruptaq; turbine saxa:
Vnde frequens fama est, naturæ munere, & vnda
Fluminis, ingentem ex saxis consurgere pontem,
Lucida quà celsos tollit Cleremontia muros,
Et valido latè surgunt vbi mœnia monte.
Non procul hinc munita lacu, placidáque palude,
Constitit in vastis Gerbotina vallibus olim,
Quæ nunc deformes trahit in vada cæca ruinas,
Et vix antiquæ restant vestigia sedis.



PITTIA gens quondam (famæ si credere tutum)
Caucaseis egressa iugis, Scythicisq́; pruinis,
Turmatim indomito collecto milite, fertur
Vicinos bello latè vexasse nefando.
Quæ simul vt solitam requiemq́; moramq́; perosa est,
Martia principio propriis popularibus arma
Intulit, affectans infreni pectore Martem.
Fretaq́; iamdudum belli successibus amplis,
Per populos Asiæ retulit sua signa minoris,
Infensas domitans acies, frænansq́; rebelles:
Donec iam populis circum in sua iura redactis,
Pittonios penetrare sinus, atque intima Regni
Gallorum potuit, tumidíque per æquoris vndas
Santonici, tandem fines posuisse laborum.
Hinc traxisse ferunt primæua ab origine nomen

Pit-

Pittones, a Pittis qui egreßi finibus, olim
Ornarunt Asiam diuersis vrbibus amplam:
Casibus & variis diuersa per æquora vecti,
Hic tandem sedes feßi posuere quietas.
Sint licet affirment, vt Pictus Seruius olim,
Hic solium regale tenens, moderaminaque alta
Indiderit terræ nomen memorabile, & ipsam
Pictauiam proprio iußit de nomine dici:
Cui Romana cohors pariter transcripsit honores.
Terra ferax frugum est, generosis læta racemis,
Quam Vingenna virens fluuio profundit amæno,
Clauius, & riguo delabens amne Creusa:
Qui pariter coëunt dum per vaga pascua ripis,
In Ligerim sensim sinuoso flumine tendunt.
Vrbs præclara vagis assurgit in æthera muris
Pictauia, & valido circundatur aggere, necnon
Turribus inter se spatio distantibus æquo:
Quam caua præcipiti circumerrat gurgite fossa.
Arx sita cliuosi super alto vertice montis
Vicinos præbet latè prospectus in agros.
Curia, curarum domus, & veneranda Senatus
Regia, perpetuo consurgit in aëra saxo:
Maxima vbi Patres expendunt pondera rerum,
Et versant summis vrbana negotia curis.
Parte alia Latijs est instaurata camœnis,
Et varijs studiis vrbs ornatißima, namque
Hîc palam medica, hîc palam ciuilia iura,
Sacráque verbigenæ clarent mysteria Christi:
Quæ partim Graio, partim sermone Latino,
Et partim Hebræa declamant voce Cathedræ.



ARDERA, *Guyna, maris cincta alluuione propinqui,*
Optatumq; citis ratibus nauale Caletum,
Poſſedit luſtris bis denis pace Britannus:
Donec, heu, patriæ malè fidus transfuga Gallo
Vendidit acceptas arciſq;, atque vrbis habenas,
Guiſiaci Ducis inſtinctu, cùm tuta manerent
Omnia, & antiqua florerent omnia pace.
Fluminis ad ripam ſtetit hic venerabile templum
Nicoleo diuo ſacrum, ſe porrigit æquor
Non procul à Fano Franciſci gurgite ſalſo:
Quod ſeſe inſtabilis varians ad lumina Phœbes
Noctes atque dies ſemper, certo ordine, certo
Tempore per numeros alterno fluctuat æſtu,
Vnica & eſt illi certa inconſtantia conſtans,
Nunc refluo acceſſu, refluo mox inde receſſu.

Sarma-

Sarmatici flabris hoc motum sæpe Tyranni
Fluctibus erigitur, spumisq́; sonantibus horret;
Dum fera crescit hyems, dicas Plutonia regna:
Verùm vbi iam Phœbus rapidos intenderit æstus,
Et sua retrogradi post terga reliquerit astrum
Auricomum Cancri, Ponti æquora strata quiescunt
Veliuoli, cælóque quies demittitur alto,
Exprimere oppositas vt credas posse figuras.
Haud procul hinc etiam sinuosi in rupe cauata
Littoris, atque ipso in medio candentis arenæ
Turris adhuc restat, magno fundatus Iulo;
Quæ velut è specula lumen demonstrat amicum,
Atque ostentat iter, ne deuia fortè secuti
Veliuolam in scopulos rupturaq́; saxa carinam
Impingant nautæ, & puppim cum gente supina
Sæua fatiscentem mox obruat æquoris vnda.

VEROMANDVI, *18.*

EST *locus irriguis circundatus vndique lymphis,*
Quà Soma, & Scaldis viridantes gramine ripas
Aruáque decliuo Veromandua tramite stagnant,
Amplo vbi tum sumptu, tum luxu ornata decenti,
Et portis munita, altis & mœnibus olim
Vrbs Augusta stetit Veromandua nomine dicta:
Quæ vix nunc vllum constratum cespite culmen
Excrit, aut trifidis laceras in vallibus ædes,
Sed tantum templum viridantis in aggere ripæ
Exiguum, paruis opibus, paruóque paratu
Instructum, sancta sed relligione parique
Imprimis multum hoc memorabile tempore cultu:
In quo Romano peragentes omnia ritu



Sacra patres, ſenio, & pietatis amore verendi
In commune quidem traducunt tempora vitæ.
Circum illud aliquot gurguſtia ruſtica perſtant,
Paruáque vel minimo conſtructa mapalia ſumptu,
Quæ parui in vici formam, pagíue redacta
Deductum ſeruant primæua ab origine nomen.

AVRIA-

FERTILE Arausiacum, Cereri, patríque Lyæo,
Atque Ioui gratum, spicata fruge refertis
Collibus assurgit, pictisq; rubentibus vuis:
Nam renouatus ager grauidis canescit aristis,
Mitis & apricis coquitur vindemia saxis.
Ipsæ vrbes immota tenent decreta seueri
Iuris, & æquarum sanctissima fœdera legum:
Vt facilè ostentant spacioso circite passim,
Atque opere ingentis molis constructa Theatra.
Vrbis Arausiacæ sublimia mœnia Maina
Circuit, & totam fluuialibus alluit vndis,
Fæcundátque suis florentia prata fluentis,
Pingue pecus domino præbens, armentáque læta,
Vináque nectoreo non inferiora falerno.

PROVINCIA SIVE GALLIAE NARBO- NENSIS ORA MARITIMA, 20.



MARTIVS *Hiſpanam quà ſpectat Narbo Pyrenen,*
Et freta cæruleus quà Gallica torquet Ataxis,
Atque Araris commotus aquis, Iſaræq;, Druentæq;
Æquor in Hetruſcum Rhodanus bifido agmine fertur:
Narbonenſe ſolum fœcunda colentibus arua
Brachiáque è portu pandit ſinuata capaci,
Colle ſub vmbroſo, quem circum frondea latè
Plena Cybelæo exornant vineta cruore.
Regia metropolis circumflua fluminis vndis
Auenio, ſedes Romani Præſulis olim
Expulſi proprijs laribus, vt Roma ſuperbit,
Pro Tyberis gaudens Rhodani fluuialibus vndis,

Fluminis

Fluminis obseruat turritis mœnibus amnem
Fertilis Arelate, torrenti qui agmine labens
Stœcados arua secat, grato redolentia odore:
Quà quondam Hesperio magnus cum Cæsare Brutus
Omne suum fatis voluit committere robur.
Hic, vaga sic fama est, viridantem innixa duabus
Constitit ad ripam spectabilis ara columnis.
Martiáque vrbs Regni quondam prouincia Narbo,
Quam Maris eoi merces, & Iberica ditant
Æquora, præclaras auget virtutibus artes.
Pessulus vrbs montis, veteres excedit Athenas,
Diues agris, Medica arte potens, pia Regia Phœbi,
Hæmoniæ tempe, & studiorum sedula nutrix.
Maßiliensis ager trabibusq; & robore secto
Fraxineis, docuit celeres contexere naues:
Quas, dum diffuso redeunt ex æquore, portu
Et placido, & fessas statione receptat amica.

PICARDIA, *21.*

INCLYTA *diuitiis tellus cerealibus apta*
Fluminis ad Somæ ripas iacet, ardua tollit
Hîc vbi templorum & domuum fastigia celsum
Ambianũ, & multo bello lacerata Peronna.
Dicta Picardorum regio, florentibus aruis
Diues, & imbelli pecori gratißima tellus.
Flumine Soma tumens, fœcundo gurgite ripas
Obliquat, placidéque citis se paßibus infert,
Ambiani donec muros & mœnia linquat,
Atque æquor reflua petat alluuione Britannum.
Hic renouatus ager grauidis flauescit aristis,
Et vaga vestit agros culmis cerealibus æstas,



Gramine luxuriant fruticantia pascua læto,
Et pecus herbosis impune immittitur agris:
Nec non mille boues gelidis in vallibus errant,
Carpentes fœtas præduris morsibus herbas,
Et passim hic resonant auibus virgulta canoris,
Frondosi colles, positique in collibus horti.

SABAV-



ADIACET indomitis alpina Sabaudia Gallis,
Infestis quondam vastata latronibus, vnde
Est mala dicta via: at titulo insignita Ducatus
Vt fuit, obtinuit saluatæ nomina terræ:
Nempe quòd armorum clara virtute reclusis
Inter tela viis Dux martius, omine dextro
Romani quondam Imperij, & Mauorte fauente,
Finibus expulerit vastantes cuncta latrones:
Vnde viatori veluti via salua quòd esset,
Est pòst communi vocitata Sauauia voce,
Et paulum accisa nunc voce Sabaudia dicta.
Allobrogum quondam ditio fuit, oppida multis
Plurima cum pagis, & flumina continet ampla.
Claudit Arar, Isarasq; celer, Rhodanúsque Sabaudos,
Et Vada Lemani: at vicina nubibus Alpes

Cottiacæ (Heſperius quà quondam venit Iulus
Italia, Imperio dum totum ſubdidit Orbem)
Vicinos torquent niue ſole madente Salaſſos:
Ipſa quibus ſubiecta iacet Pedemontia, ab ortu
Finibus Italiæ multum vicina potentis.

BVRGVNDIA, 23.

IVNGITVR *alpinis Burgundia priſca Sabaudis,*
Lemanóque lacu, & Rhodani diſcernitur vndis.
Quæ ſubdiuiſa in binas longo ordine partes
Hæc Comitis, Ducis illa fuit cognomine dicta:
[redacted]
Arua ſecans Dubis pratis ſpatiatur amœnis;
Veſontina vago donec ſe in mœnia lapſu
Inſinuans, mediam lento fluat amne per vrbem,

Qui varios placida pontes subterfluit vnda:
Atque hinc Phœbeas vndarum fluctibus arces
Proluit, excelsis surgentes molibus, atque
Ingeniis cultas variis, vbi feruida doctas
Singula tentando solertia procreat artes
Ad cathedralitiæ sublimia pulpita Dolæ:
Mille vbi ter turmæ iuuenum studia alta colentes,
Et virides ripas, & littora prima legentes,
Doctisono secum deducunt carmine Musas:
Dum vaga serpit Arar per rura pigerrimus vnda,
Ac Eorica ignauis infert se passibus, vnde
Paulatim iunctis coit amnibus alueus vnus,
In Rhodanum donec sinuoso gurgite tendant.
Hic duo diuersas, naturæ munere, fontes
Producunt vndas, quarum pellucida prima est
Apta leuare sitim, & flagrantem pectoris æstum.
Altera sed contrà, multum sale feruida puro,
Fœnore cum magno varios seruatur in vsus.
Frugum est terra potens, & abundantissima rerum
Cunctarum, fecunda mero, nemorosa, racemis
Plena bonis, & amœna situ, pia Regibus, aura
Dulcis, & ingenuis studiis aptissima tempe,
Quæ non Oenotrio, calido nec cedit Ibero
Fertilitate soli, aut cœli regione salubris.
Gens elata, grauis, procero corpore pollens,
Ingenio, multumque sagax in rebus agendis,
Quæ tot Rectores legum, Iurisque sacrati,
Tot decreta fori, totum sparsere per Orbem.

TOTIVS *Europæ Germania maxima regnis,*
Nominibus distincta suis, titulóque verenda
Imperij, armipotens, & Pace decora serena,
Nec Gallo, Oenotrio, calido nec cedit Ibero
Fertilitate soli, vel dotibus vberis arui.
Namque caui summis labentes Alpibus amnes,
Præbent vndoso generosos gurgite pisces,
Et volucrum genus omne, genus simul atque ferarum,
Argentúmque, aurumq́, cauisque effossa sub antris
AEra, Deæ Cereris, generosaq́ munera Bacchi.
Iccius occiduas partes Anglo æquore portus
Terminat. Ortiuas vaga Vistula, Cosmographorum
Vt perhibent paßim monumenta relicta recentum,
Australémque plagam circundant montibus Alpes,
Et Boreale latus Germana & Baltica claudunt
AEquora, sub gelido torpentia frigore Plaustro.
Hic inter reliquas candore notabilis Alpes
Vertice nubifero Mons sidera suspicit alta,
Imparibusq́ ferire iugis vaga nubila gaudet,
Tempore primæuo vocitatus Graius Adula:
Cui pòst, quòd valido montis prærupta Gotardus
Milite munierat, validásque redegerat arces
Montis in abrupti fluuijq́ crepidine nigra,
Posteritas tribuit nomen mutata Gotardo:
Qui niue conspersus paßim, canáque pruina,
Duratam ignorat flammis mollire pruinam.
Corniger hic Rhenus cursu violentus & vndis,
Fonte cadit duplici, & summa descendit ab Alpe,
Et Lepontinas Ticinus flumine valles
Irrigat vndisono, atque Italas depascitur oras,
Et Lucerina suis proscindit stagna fluentis
Vrsa, sub inculti delabens vertice montis;
Sole sub occiduo remouetur vertice Furca

Atque

Atque procellosis Rhodani confunditur vndis.
Alpibus hic rapidè descendens Oenus Iulis
Et quercus & saxa rotat, dum grandine & alto
Effera tempestas cælo furit imbribus atris:
Qui post Ripensi fecundans pascua rore
Norica, in vndisonum tandem deuoluitur Istrum.
At parte ex alia, terram qua Baltica torquent
AEquora, & insanis adducunt frigora brumis,
Nascitur Electrum fuluo flauentius auro,
AEquora quod gignunt Germanica, proxima duris
Pruttenis, Prußis, Pomeranis, atque Sudinis.
Nam primum vt Boreas turbauerit æquoris vndas
Aut Aquilo gelidus, vel torpens frigore Corus,
Omnibus ex oris, vicísque ex omnibus, ipsa
Quàm latè circum patet insula Glessera, priscum
Nomen ab Electris hodierno tempore seruans,
Conueniunt, properantq; stato de more puellæ,
Et pueri, commixta viris matronáque agrestis,
Explorantq; citi quadratis retibus altum,
Dum capiant properis perpinguia succina dextris.

Limites Germaniæ incerto Authore.

Rhenus ab occasu, Viadri sed flumen ab ortu
Clauserunt fines Teutona terra tuos,
Aëriæque Alpes clauserunt limen ad Austrum,
Balteus ad Boream terminat Oceanus.


Germania
Anglia Pars.
Hollandia
Zelandia
Frisia
Flandria
Brabantia
Hannonia
Luxelborg
Lotharingia
Alsatia
Saxonia
Turingia
Francofia
Franconia
Suevia
Bavaria
Tirolis
Austria
Moravia
Bohemia
Silesia
Polonia
Prussia
Pomerania
Marca
Mecelborg
Hungaria
Helvetia
Burgundia
Sabaudia
Galliae Pars.
Miliaria Germanica magna mediocria parua hec scala continet.
Septentrio
Oriens.
Meridies.
Occidens
Venetia
Sinus adriatici pars
Istria
Paris
Prag
Wien
Salzburg



Nobilis *Heluetiæ regionem Graius Adula,*
Iuráque mons varijs occludunt alpibus, vnde
Et Donna, & Rhodanus Burgundica rura rigantes
Amnibus erumpunt primis è rupibus altis:
Nascitur atque duplex geminato Rhenus ab amne,
Efficit & duplici natus duo cornua fonte:
Anterior donec defluxo gurgite fontis
Posterioris aquas transuerso tramite suffert.
Gurgite Ticinus parua hic erumpit ab alpe,
Et rigat Insubrum redolentes gramine campos.
Libera terra quidem est, gens libera fœdere iuncto,
Pacis amans, armísque potens, inimica Tyrannis,
Libera, non vlli Domino subiecta potenti.
Namq; diu inuisa sub mole Tyrannidos atræ
Depreßi, vt totum viderunt milite Regnum

Exutum

Exutum semel, & nullo custode Tyrannos
Seruari, & vario sese in discrimine vitæ
Versari, Patriæ tum libertatis amore
Excussere suis iuga non toleranda lacertis:
Et rigidos vita pariter Regnóque Tyrannos
Priuarunt, rerum sic libertate potiti.
Inq; locum extincti, profligatíque Tyranni,
Annua grandæuus, veritusq́; ætate Senatus
Iura capit, populoq́; graues partitur honores,
Quem populi glomerata manus, tum lecta iuuentus
Approbat, & plausu, fremituq́;, & voce secuta.
Sicq; inter sese concordi fœdere pactis
Adiunxere fidem rebus, dextrasq́; dedere
Inuiolabiliter patriæ in commune tuendæ:
Prudentérque auctis sic sensim viribus, amplis
Auxerunt proprios fines successibus, atque
Prudenter populum vnanimes in pace regebant.
Quin etiam si fortè aliquis virtute vel astu
Contingat Princeps istorum in prœlia quemquam
Poscere, vel saltem sociali fœdere iunctum,
Audeat insurgens, diróue lacessere bello:
Protinus addicti concordi fœdere contrà
Vnanimes, diri in certamina martis anhela,
Et paribus connixè animus contendere certant.

BAVA-



QVOD domitare boues plaustris assueta sonoris
Prisca fuit gens, atque rudes ad aratra iuuencos,
A boue nomen habet quondam Boiaria dicta.
Hanc Bauaram gentem, mutata voce priori
Vindelici populi, tum Norica rura, Narisci
Indigenæ appellant hac tempestate moderni:
Deductum Auaribus dicunt cui nomen ab Hunnis.
Quæ cùm natiuo Regi subiecta fuisset
Externi nunquam est iuga sordida passa Tyranni,
Legibus at proprÿs, tum tuta pace quiescens
Vicinos varia ditabat merce colonos:
Nomine sed postquam Regio insignita Ducali,
Et rigidos passa est, dubiosq; per omnia casus.
Diuidit hanc leni lentáque crepidine ripæ,

In par-

In partesq; secat, transuerso tramite, binas
Danubius, varijs fluuiorum fluctibus auctus.
Ipsáque pars supera, hibernum quæ tendit ad axem,
Plena feris, syluis, lacubúsque, paludéque crebra est.
Infera fertilior multò est, armentáque piscesq;,
Et nitidas fruges profert, vinetáque pauca,
Illaq; spinosis atque hispida sentibus vuas
Producunt raras, vacuæ vt cultore labruscæ.
Deficiunt tamen hic nunquam pia munera Bacchi:
Plurima nam multo vicini fœnore vectant
Vina per irriguos amnes, atque inde reportant
Effossum terris æs, sal, ferrúmque coruscum.
Nec minus argentiq; ferax, glandisq; sonoræ est:
Vnde saginatis paßim est plenißima porcis:
Quos aut indigenæ vendunt, aut tempore meßis
Per reliquas alijs commutant mercibus vrbes.
Hæc vltra innumeros quos continet vndique pagos,
Quattuor atque vrbes ter denos continet: harum
Præcipua in clypeo Monachum velamine pullo
Depingit, paßimq; cauis è turribus effert:
Vrbs perpulchra foro, domibus templisq; superbis,
Isara arundiferis qua spumeus alluit vndis.
Vindelicæ caput vrbs, quam Rhætus condidit olim,
Extulit Augustus, cognomine gaudet vtroque:
Clara viris, exculta foro, domibusq; superbis,
Culmine templorum, & sacro veneranda Senatu:
Frænans pulchra Lyci sublimi flumina ponte.



PROELIA Germanis moturus Iulius, arcem
Faucibus in mediis, celsiq́ per ardua montis
Construxit, qua se miles sub tuta referret,
Vtq́ iuuamen erat tutum, vacuúmque periclis
Aduersus varios bellíque hostisq́ furores
Arx primum à populis est dicta Iuuania; & inde
Dicta Iuuanensis vicini fluminis vnda.
Collibus vrbs gaudet, crebro circumsita monte,
Pascuáque vndantes præbent fœcunda paludes,
Aucupia herbosi montes venatibus apta.
Terra ferax auri est, & marmore nobilis albo,
Et sale, calcantho, & rubidi fuligine stimmi,
Sulphure cæruleo, lentoq́ bitumine plena.
Hinc patrium tenuit per plurima tempora nomen
A sale Salsburgum, velut arx constructa salinis

In

In medijs, ſpecula aut ſalſis è fontibus orta.
Hic primum Franca clarus de ſtirpe Rupertus
Inſerere indigenis fidei noua ſemina ſacræ,
Primáque tentauit partæ monumenta ſalutis,
Et ſanctas Chriſti leges vulgare per Orbem,
Hunnorúmque feris collapſam cladibus vrbem,
Reſtituit pia cura Patris; ſoliumq́ locauit
Præſulis hic primùm dum prima Antiſtitis ipſe
Fundamenta iacit, ſediſq́ exordia firmat.
Quin etiam celſi fundat noua limina templi,
Et collapſa inter tantæ monumenta ruinæ,
Cœnobium extruxit multum memorabile prudens;
Quo tenuem aſſueti Monachi traducere vitam
Sponte ſua ſeſe preſsis moderentur habenis.
Hinc virtute viros claros, vitæq́ probatæ
Delegit, ſacræ queîs relligionis habenas
Committit, mandatq́ Deûm ſacra templa tueri,
Et veros Chriſti cultus, rituſq́ ſacrorum.



N o r i c a *discurrunt per pascua quattuor Amnes,*
Lætaq; fœcundant vndarum molibus arua.
Mænus ad occasum tendit, fugit Aegra sub ortum,
Ad medium Nabus solem, Sala frigida lentè
Algentem ad Boream contortis labitur vndis,
In quorum medio, se vertice porrigit alto
Pinifer vmbrosis Mons collibus vndique cinctus,
Nomine Sudeti, dicti quà quattuor Amnes
Excurrunt, patulos ceu brachia fluxa per agros,
Quodq; magis mirum, procero in vertice Montis
Gramina stagna tegunt, fragilis statq; alnus in vndis:
Effodiunt vbi nunc argenti plurima puri
Pondera, cúmque auro, fului ramenta metalli.
Dotibus innumeris, media in regione locata,
Felix ante alias vrbes vrbs Norica Bergi

Mœnia

Mœnia magnificis attollit ahënea muris,
Quam rapidus circum lambit Pegnesus arenis,
Per mediumq; secat, fluuio & profundit amœno.
Cui Piber, atque citis madido delapsus ab austro
Reduitius celerans mox sese paßibus infert,
Confestimq; tribus coit alueus amnibus vnus,
Et pariter socijs coalescunt flumina ripis;
Donec Bambergæ muros & mœnia linquant,
Et simul in Mænum sinuoso gurgite tendant.
Vrbs opulenta, potens, validis circumdata muris,
Et florens, proprias & facta opulenta per artes
Norica nomen habet, iuncti à cognomine castri:
Diues opum, fœcunda viris, laus, gloria, robur
Militiæ, cultrix veræ pietatis, amatrix
Iustitiæ, & verum studiorum hoc tempore Asylum.
Quam fouet vnanimis populi concordia felix,
Legibus & firmata suis Respublica, cuius
Iura regit sapiens tranquilla pace Senatus:
Quæ nunc exilio pulsis sibi prouida Musis
Hoßpitium dedit, & profugis patefecit Asylum:
Ingenuasq; auget, cumulat, fouet, erigit artes,
Et studiis proprium reddit quem debet honorem.



*E*ST *locus obliquum latè porrectus in orbem,*
Quem vagus irriguos exit dum Nicer in agros
Montibus vmbrosi nemoris dimißus ab altis
Efficit, in cuius castellum vertice pendet,
Et super antiqua turris procul eminet arce,
Wirtemburgensis Ducis olim regia, felix
Ante alias, geminos quæ inter sita mœnia colles
Exerit, & culmen celsum super aera tollit.
Parte ab vtraque iugis nemorosa in valle coacta
Arx dat subiectas longè prospectus in oras,
Qua veluti specula sæclo fuit vsa priori
Cura Ducum, magni dices penetralia Phœbi,
Illáq; Pegasides loca poßedisse sorores:
Nam quæ contingunt frondosos proxima colles
Niceris, & placidi peragrantur fluminis vndis,

Vite

Vite rubent latè turgenti consita, paßimq́;
Effundunt gratum flagranti è vite liquorem.
AEgra calorificæ reparant dum corpora thermæ,
Quæ nunc per scopulos, & saltibus horrida tesqua,
Quà via nulla fluunt, resolutáque membra vigori
Restituunt prisco, medica virtute latentis
Sulphuris, & cupri, & stringentis aluminis ora:
Ipsáque culta Ceres florenti lætior agro
Innumeras spargit millena per horrea messes,
Pascuaq́; irriguis paßim surgentia riuis
Gramine luxuriant, turgent dum frugibus arua,
Et grauidæ patulis pendent in collibus vuæ.
Vrbs vetus in media est nostris regione Tubinga
Dicta, potens, opulenta, ingens, quam præter amœnus
Et peragit cursum properanti flumine Nicer:
Musarum domus est magni & sacra Regia Phœbi,
Et schola, Cecropias studijs quæ vincit Athenas,
Hic sese studiis primæuo in flore iuuentus,
Et modò præclaris pectus virtutibus ornat.
Ipsaq́; Metropolis regni Stutgardia, nullos
Fortunæ insultus metuit, nam Niceris vndis
Tuta Ducum sedes nunc est, & mœnia colles
Inter Aminæis turgentes exerit vuis.

FRAN-

TVBERVS, & *Mænus*, Sala. *Læris gurgite pingui*
Fæcundant annexa ſolo campestria Franco:
Atque licet vili ſint paßim obducta ſaburra,
Aut ſterili ſabulo, aut cumulis liuentis arenæ:
Attamen è ſterili fundo fragrantia vina,
Pampineis latè vernantia vitibus arua
Exulant, dulci non inferiora Falerno.
Libera terra quidem eſt, & Franco nomine gaudens,
Attamen eſt dominis paßim regnata ſerenis,
In varioſq́; redacta locos ſeruire coacta.
Caulibus, & cepis, & lætis herbida rapis
Indigenas nutrit cultis Bamberga ſub hortis;
Ingentiq́; alios iam pridem laude minores
Cùm ſuperet, latè famam promouit, & auxit
Relliquiis Henrice tuis, qui ſceptra gerebas

Auſo-

Ausonios inter gratus pietate Monarchas.
Nec procul Hasfurtum properantis in aggere Mani
Hinc validos effert, ceu candida lilia, muros:
Atque Neostadtum, tum Bernhamerica sylua
Demonstrant facilem Kitzingi *ad mœnia tractum.*
Gaudet odorato per pinguia præla fluenti
Nobile Witzpurgum, Baccho ferit æthera summo
Vertice Christiparæ Mons consecratus, opaco
Consitus ad Mæni pubentes gramine ripas.
Fluminis ad Mæni dextram stat condita partem
Clara situ, populoq; frequens Francfordia diues,
Mercibus omnigenis, gazisq; opulenta superbis,
Dicta Vadum quondam Francorum voce latina:
Quæ semper studio, & præclaris dedita rebus
Laudis amore fuit, virtutum laude beata.
Huc, cùm verna nouo mitescunt tempora sole,
Vel cùm Libra graues immittit frondibus Austros,
Confluit omnigenis opibus vaga turba quotannis,
Atque peregrinis paßim fora mercibus explet:
Nam paßim ignoto conchylia capta Canopo,
Et prostant tincti fulgenti murice panni:
Quæ Phœnissa Tyros mittit, Cadmæaq; Sidon,
Vel Lacedæmonium quæ vellera clara Tarentum,
Tum quas extremi lanas misere Britanni,
Et piper, & molli spirantia cinnama ligno,
Flauaq; arundineis crescentia mella frutetis.
Nec minus ad certos quantum patet area fines
Librorum omne genus paßim per compita prostant,
Plena laboratis habeas vt scrinia chartis,
Vnde tibi dignum, & mansurum condere nomen,
Et celebris poßis præconia quærere famæ.

GERMANIA INFERIOR,

SEV GALLIA BELGICA, 31.

GALLIA *terrarum fortunatißima quondam*
Belgica, cui toto non par fuit altera mundo:
Magna fuit Regum genitrix, vberrima nutrix
Cunctarum rerum, & solidæ virtutis imago;
Nobilitate potens, & diuitis vbere glebæ,
Diues opum, fecunda viris, vberrima cultu,
Nomine fausta suo, celebris pietatis amore,
Relligionis amans, fidei, & probitatis imago:
Quam septemdenis occludit flumine regnis
Mosa rapax, gelido multum contermina Rheno.
Scaldis, at arua lauant diuerso Dilia fonte,
Leidaq; diuersim Flandros disterminat agros.
Parte alia varijs hanc ornat mercibus amplè
Fertilis Oceanus gelida cum coniuge Tethy.
Arte laboratæ sua scandunt æquora puppes,
Commendátque suos Maris inclementia portus.
Hæc nunc læta tuo paret, Rex magne Philippe,
Imperio, præclara domus quam iunxit auitis
(Sic fato voluente) olim Burgundica regnis;
Inconcussa suo stabat dùm pondere veri
Virtus, & patriæ strictißima sanctio legum.
Gens (vt fama refert) Troiano à sanguine ductat
Progeniem, Bauo post diruta Pergama namque
Laomedontiades fertur fortißimus Heros
Hîc tandem fato sedes posuisse quietas.
Indiciis quod adhuc confirmant pluribus ipsi
Indigenæ, atque operum structuris ordine monstrant.

Nec

Nec verò (clara cùm gens ſit ſtirpe creata)
Degeneres gerit ipſa animos: nam fortia bello
Pectora ſunt illi, ſumma eſt prudentia, ſummum
Ingenium, & validæ præſtanti in corpore vires:
Iuſtior haud alia eſt gens, aut ſeruantior æqui,
Aut magis arte valens, magis aut aſſueta labori:
Nam ciues nec fraude ſciunt, nec viuere rapto,
Sed multas componit opes multus labor, atque
Prouida mens variaſq; artes qui repperit vſus.
Hanc pater Oceanus, gelidas quà vergit ad Arctos
Terminat: At Rhenus ſurgentis ſolis ab ortu,
Quà ſurgunt Auſtri, vicina eſt Gallia, quáque
Oceano occidui properant ſe tingere ſoles.


Descriptio Germaniae Inferi
Angliae Pars
Occidens
Septentrio
Frisiae Pars
Oriens
Meridies
Picardia
Flandria
Selandia
Hollandia
De Zuir Zee
Galliae Pars
La Trasse
Vestphaliae
Miliaria Germanica magna Communia et parua
1 2 3 4 5



ARDVA Treuiricis, Rhenique à finibus amplis
Arduenna, vagi nemoris per opaca vireta,
Et cæcos nemorum saltus, atque ardua tesqua,
Neruia contingit diuerso tramite rura:
Et patet in longum quingentis milibus, vtq;
Desinit ad virides ripas, & flumina Mosæ,
Plurima fecundat stagnantibus amnibus arua.
In quorum medio stat turribus atque tenaci
Vrbs muro munita, vadisq; propinqua Mosellæ,
Dicta Augusta prius veteri Romandua lingua;
Nunc Lutzenburgum *patriæ sermone loquelæ:*
Quæ duplici fundata situ, prope fragmina montis
Vna parte sita, atque alia in viridante redacta
Valle, frequens syluis, & collibus vndique cincta est.
Gens in bella ferox, sæuis quibus omnis in armis

Vita

Vita placet, non vlla iuuat sine marte voluptas.
Quod si tranquilla vertantur ad ocia pace,
Ocia nulla terunt sine magno vana labore:
Nam patrios duro radunt aut vomere colles,
Aut campos rastris, dirisq; ligonibus arua:
Aut varios nemorum lucos, aut ardua syluæ
Lustra petunt, canibusq; feras sectantur odoris:
Venatu genus assuetum, genus acre virorum.

GELDRIA, 33.



CINGITVR *& Mosæ, Vahalis, Rheniq; bicornis*
Fluctibus, indomitis quandoque habitata Sicambris
Geldria, successu quæ dudum læta secundo
Libera sopitis agitauerat ocia bellis,
Et neque vicinis olim regionibus vnquam

Cesserat,

Cesserat, aut belli virtute, aut diuite cultu,
Aut potiore situ, vel dotibus vberis arui.
Ter centúmque suo pagos complectitur orbe,
Vigintiq; duas munitas mœnibus vrbes.
Læta greges pascunt armentáque pascua, & amplè
Gramine luxuriant dulci viridantia prata.
Arua fretum vario lacerat Velanica fluctu,
Interfusa vadis Rheni, & turgentis Isellæ.
Insignita fuit Comitatus nomine primùm,
Primaq; Nassouus rerum moderamina sumpsit,
Otho, quo melior nemo, vel amantior æqui
Non fuit aut fuerat longo pòst tempore rarus,
Plurima qui validis circundedit oppida muris,
Dum populum prudens iustis moderatur habenis:
At postquam virtus Rheinaldi clara secundi
Et pietatis amor, genus, & mauortia facta
Innotuere, fuit titulo insignita Ducali.
Vrbs populosa, potens, diues florentibus aruis,
Læta iugis nemorum, sed multò lætior agris,
Terminat imperium Batauis, grauibusq; Brabantis:
Næomagum nostris dictum, quam præter amœnum
Et peragit cursum Vahalis vaga, flumine ditans
Villarumq; casas, & pastoralia tecta,
Et sata odoratis paßim turgentia aristis.
Hanc Bato Catthorum instaurauit regulus, vrbis
Murorum triplici cingens munimine fossas.
Sylua fuit quondam dumis, atque ilice plena,
Hic vbi nunc celsis se attollit in æthera muris
Gelria finitimos inter vastißima colles.
Effera stagnantes obsederat Hydra paludes,
Lethifera effundens excusso felle venena,
Noxia lanigero pecori, timidisq; colonis:
Quæ modò per fluuios errans saltusq; profundos

Paßim

Paßim homines morsu, rapidáue voragine diri
Gutturis, aut flatu, aut funesta tabe necabat.
Fortè duos Ponthi Dominus hoc tempore natos
Insignes bello, clarósq; reliquerat armis:
Qui tandem populum optantes crudelibus istis
Soluere ab ærumnis, iaculisq; plagisq; dolosis
Armati, monstrum syluis excire parabant:
Cùm circum glomerati omnes, facto agmine denso,
Omne nemus magnis alacres clamoribus implent.
Bellua venantum clamoribus excita, diro
Exardet vultu, & longum caput extulit antro,
Atque volubilibus squammosos nexibus orbes
Torquet, & immensum saltu sinuatur in arcum.
Mox iuuenes primùm laqueos, & retia cautè
Antra per & syluas tendunt, & ab aggere curuo
Inuadunt, funduntq; omnes crebra vndique tela:
Illa dolore ferox, caput in sua terga retorsit,
Læsáque colla dabat retro: tum protenus omnes
Mille simul iaciunt in vulnera spicula, donec
Ipse venenifero sanguis manare palato
Cæperat, & virides aspergine tingere campos:
Vnde nemus diris mugitibus omne replebat
Bellua singultans animam, quæ vocibus altè
Ingemuit Gelre. hinc à nomine dicta vocantis,
Creditur & Geldræ tellus, & gentis origo.
At potior visa est sententia, Gelduba quondam
Quòd populum vnanimi moderamine rexerat, inde
A Duce principium, & genti incrementa fuisse.

EBVRONES, SEV LEODIENSIS DIOECESIOS TERRITORIVM, 34.



CÆSARIS Ambiorix Rex mansuetudine Iuli-
Allectus, regno, & natis sub pace receptis,
Quos prius Aduatici torquebant carcere duro,
Imperio sese Romano subdidit vltro:
Frena pati, atque Italis sua subdere colla Tyrannis
Contentus, patriis necnon in finibus agmen
Et prædas rapere, & facinus quodcumque patrare.
Hinc verò inuisus vicinis omnibus esse
Cœperat, & turpem mutandam conditionem
Suadebant proceres vicini, atque arma paranda:
Ni velit excidium regnis instare propinquis,
Atque videre breui sanè properantius æquo,
Inius Romanum mutatis legibus, omne

Sublata


Sublata Regnum tum libertate redactum.
Quo rumore graui Ambiorix perculsus, auita
Percupidus patria tantam depellere cladem,
Et patriæ oppressæ succurrere, fœdere rupto
Ocius arma parat, campóque inducere aperto
Instructas acies, populos quibus vndique lectos
Audaces animo, iunxit certo ordine Treuir,
Atque armaturæ leuis omni ex gente coactam
Innumeram secum peditumq; equitumq; cohortem.
Quo simul, instructáque acie, gressúque citato
Ambiorix fuerat, tum tanto milite cinctus,
Indomitum toto spirabat pectore Martem:
Vtq; ferox celerante gradu contendit in hostes,
Primùm ex insidiis paucos propere, ínque paratos
Callidus aggreditur, deturbat sedibus, atque
Dispositis, vt fortè locus tempusq; ferebat,
Ordinibus, statuit tentare pericula belli.
Vtq; satis victor cuncta explorata, suisque
Præsidiis firmata videt, tunc protinus acri
Signiferis instare suis hortamine, & omnes
Ingruere, aduersos seseq; immittere in hostes
Imperat vnanimes: sed dum violenter vtrinque
Inter se toto concurrunt impete turmæ;
Romanus grauiter labefactus viribus hostis,
Turbatusq; loco, sese subducere pugnæ
Incipit, & lato tandem discedere campo,
Deseruitq; Ducem propria statione relicta.
Anxius inuadit reliquos formidine terror,
Præcipitesq; agitat per agros, dum versa repentè
Spes omnis, retróque pedem Victoria flexit:
Cæsaris vnde ferunt valle hac Legione perempta
Leodium sumpsisse sibi à certamine nomen.
Sint quibus à Ligiis populis qui nomina dicant,

Aut à Laoïde, nato prudentis Vlißis.
Terra ferax frugum est, cereali munere præstans,
Fertilis & Baccho, pecoriq́; & gramine læto,
Et ferro, & chalybe, & fuluo fœcunda metallo,
Et plèno asphalto, carbone; & sulphure viuo:
Nec minus & plumbo est, & marmore fertilis albo,
Et nigro, æternis condendis arcibus apto.
Vrbs antiqua situ, pulcherrima turribus effert
Innumeris ornata solo modò mœnia, & alta
Templa dicata Deo, variis innixa columnis,
Porticibusq́; amplis, paßim rutilantibus auro.
Mosa rapax vrbis leni rigat agmine muros,
Per mediam secat, & pontem subterfluit altum,
Iungentem binas saxorum molibus oras;
Innumerisq́; beat præclaram dotibus vrbem,
Innumeros profert dum pingui gurgite pisces.
Sed latus incuruis occludit frondea syluis
Arduenna, foco tectisq́; accommoda præbens
Ligna, feris nec non nemorosa fugacibus antra.
Paßibus hinc Tongri ter distant milibus, atque
Centrones, campis tellus vbi vernat opimis
Dotibus & vario constructis marmore thermis.

NAMVRCVM, *35.*

PENE *Namurcensis tota est prouincia rupes*
Contigua, exilis quæ contecta vbere glebæ,
Et frugis lætæ est, & penè siliginis expers,
Rennuit vnde vncum pradurus agellus aratrum,
Vi tamen impresso raduntur vomere saxa,
Arescit tellus nimium si deficit imber,
Saxaq́; nimbosis paßim reteguntur ab vndis.
Zea petris gaudens, saxosis crescit in aruis.

Triticeo



Triticeo aut meßi, quæ aut neſcit cedere farri.
Saltibus atque altis, regio pleniſsima ſyluis
Aucupijs præbet promptiſsima teſqua peritis,
Frondoſoſq; vagis lucos venatibus aptos.
Terra ferax ferri eſt, tenuis in collibus vua
Vitifero nudos conueſtit palmite truncos,
Immatura ſuis fundentes vina racemis.
Hic paßim incerto lapidoſi murmure riui
Per valles crepitant, & pictas gramine ripas:
Dum volucres patulis reſidentes dulcia ramis
Carmina concordi mulcent modulamine cantus.
Sambra tumens liquido vicinas flumine ripas
Alluit, atque alacres præterlabentibus herbæ
Alludunt vndis: donec ſe in mœnia lapſu
Leniſluo inſinuans, mediam fluat amne per Vrbem,

Et tandem in Mosam sinuato tramite tendat.
Vrbs præclara duos velut arx intersita montes
Quæ potuit terris æquari laude vetustis,
Vallatis celsum consurgit in æthera muris,
Nobilitate potens, diti & celeberrima cultu:
Quam iuxta gelidus sinuoso flumine Mosa
Labitur, & liquidis hinc atque hinc alluit vndis
Arte laboratas, nec non vulgaribus ædes
Sumptibus, & Superûm fulgentia templa Deorum.

BRABANTIA, 36.



Nomen *ab inculta sortita Brabantia terra,*
Irrigat irriguo paßim quam gurgite Mosa,
Et rapidis Scaldis sinuosus flexibus, ante
Est alias regio longè populosior omnes,

Non

Non tamen est diues pecoris, nec fertilis aruo:
Sit licet & syluis & abundantißima pratis.
Moribus & cultu gens non solertior vlla est,
Aut magis arte valens, magis aut assueta labori.
Vtq; solet solers apis aluearia circum
Agmine densato peragrare examina melle,
Aut formica breuis veluti noua farra latebris
Venturam solita est in brumam æstate soluta
Condere, sic gens hæc venturæ odiosa senectæ
Tempora perpendens; vestigia fida parentum,
Et patrios ritus solito de more secuta,
Aßiduè duro domitat sua membra labore,
Et manuum proprio fruitur quæ parta labore.
Oppida frondosis cinguntur vallibus, atque
Ardua vallantur diffusis mœnia foßis.
Ipsaq; colle sita est nutrix Bruxella potentum
Heroum, Attalicis multum celebrata tapetis.
Louanium antiquas doctrina excedit Athenas,
Sacratis studijs vbi sese atque artibus ornans
Florida Musarum capit incrementa iuuentus.
Syluia marte potens defendit viribus vrbem:
Horrida dum stridulas imitantes fulmina flammas
Mechliniana fero iactant sclopeta boatu.
Scaldis arundiferæ circundatus aggere ripæ,
Laſe Flandra solo secludit rura Brabanto,
Commoda multa ferens cumulato fœdere, vbi amplo,
Nympha beata ære, & fratri charißima Scaldi
Antouerpa super tollit vaga sydera nomen:
Fratris & auxilio certas refluentis in horas
Attollit medio, ceu candida lilia, ponto
Mœnia, sæua olim (sic fama est) antra Gigantum.
Hanc modò Germani Antorffam dixere feroces,
Anuersam Galli, atque Itali, tum Cantaber, atque

Emberem

Emberem flammis quam quondam exußit Iberus.
Terra palustris erat, ſale tabida, terra rigenti
Arentiq́ fuit paßim fæcunda myrica,
Ante dies Brenni quem pòst dixere Brabonem.

FLANDRIA, 37.

In topographiam Flandriæ, incerto authore.

Parua loco tabula eſt, quam cernis Flandria, ſed re
Maxima, ſydereo ſurgit in aſtra gradu.



Parua quidem: ſed ſi videas tibi qualia diues
Commoda largitur Flandria, magna ſat eſt.

R E G N A *per Europæ non vlla beatior ora eſt,*
Aut fæcunda magis ſpatioſi dotibus arui,
Quam quæ cæruleis Lyſæ, Leidæq́ fluentis

Et Teneræ herbosæ est circundata Flandria, cuius
Nemo vnquam potuit dotes numerare beatas,
Aut satis innumeros pòst condecorare per annos.
Nam fœcunda viris, bonitate insignis, & armis
Atque valens opibus, censuq; & diuite gaza,
Templa Deo, pacem populo, sua rura colonis
Attribuit, lætis munitas ciuibus vrbes.
Clauditur hæc Scaldi, Oceano, tum finibus amplæ
Artesiæ, & validæ turritis Hannonis oris.
Estq; in tres partes diuisa, Valonia primà
Dicitur, Imperij est dicta altera, Tertia posthæc
Teutona, quæ celsis vallatas mœnibus Vrbes,
Exemptis vicis, munitisq; vndique muris
Arcibus, & pagis, viginti continet octo.
Vrbs antiqua olim Flandrorum regia sedes,
Felix pace bona, & cæli splendore salubri,
Turribus innumeris media in regione tumescit,
Gandauum indigenis dictum, quam Scaldis amœno
Flumine coniunctus Lysæ, Leidæq; fluentis,
Diuidit in varias millenis flexibus oras.
Hanc decus Imperij Romani Carolus olim,
Et columen regni Hesperij, Europæq; monarcha,
Præclaram proprio natali reddidit ortu,
Quintus, & insigni pòst condecorauit honore.
Millia circuitu tria continet ambitus vrbis,
Innumerisq; citi frenantur pontibus amnes.
Ipsaq; Diuorum templis, domibusq; superbis
Vrbs ornata super fastigia nubila tollit.
Vixque sui cùm sit populi latißima, turbam
Accipit. O felix tellus, nimiumq; beata,
Ni sua Lenæus tibi dulcia munera Bacchus,
Et teneras vites, & libera vina negasset.
Pontibus à crebris sortitæ nomina Brugæ,

Laudibus innumeris, & multa merce beata,
Eminuere olim ante alias, quas continet vrbes
Flandria, vel media quas ſol regione locatus
Aſpicit, è toto dum ſuccreſcentibus orbe
Diuitiis, peragunt præſentis commoda vitæ
Plurima, tam priuata hominum, quàm publica rerum.
Sed firmum natura nihil produxit, vt eſſet
Semper idem, fortuna vices & tempora mutat:
En quæ cæruleas frænarunt pontibus vndas,
Innumeraſq́ rates oneratas mercibus amplis
Admiſere olim Sluſæ ad cataracta tumentis,
Nil niſi ſurgentes operoſis molibus ædes,
Et veteris monſtrant inſignia priſca decoris.
Hypra locum ternum Flandræ inter membra quaterna
Eſt ſortita; pater poſuit quam Belga vetuſtus,
Surgentemq́ vagis primus circumdedit vrbem
Mœnibus, & longo cinxit pomæria vallo
Propter aquas, variis quam circuit amnibus Hypra,
Hypra paludoſis labens è vallibus, amplum
In mare prociduo præceps qui voluitur æſtu.
Hanc varijs ornant Galli, variiſq́ Britanni
Mercibus: At lanam lanoſáque vellera picti
Claßibus expediunt diffuſa per æquora Scotti.
Hypra quibus vario texit ſubſtamine pannos,
Pendulaq́ erectos aulæa ornantia muros.

A R T E-



DIVIDIT *Arteſiam non vno tramite Lyſa,*
Lyſa renidentes Flandræ quæ terminat oras,
Quà Scythicus Boreas glaciali ſæuit ab Arcto,
Stridentéſque iuuat flatus Aquilonis iniqui.
At quà cæruleis pluuiis violentus in orbem
Prodit atrox Auſter, violentáque flumina torquet,
Ipſa Picardorum tellus aptiſsima fruge
Occludit Notios Dorlemi ad mœnia fines.
Gallia Germanis coniuncta ferocibus, aptè
Terminat indomiti ſubiectam flatibus Euri
Occiduam ſeruat dum læta Bolonia partem.
Læta iugis nemorum Regio eſt, florentibus aruis
Diues, & imbelli pecori gratiſsima tellus,
Sit licet & Bacchi, tum Pallados arboris expers.
Vrbs præclara ſitu, & murorum ingentibus amplè

Aggeribus munita, vagiſque amplexibus altum
Atrebatum, excelſos attollit in aëra turres.
Quæ variis quondam ſtudiis memorabile nomen,
Artibus & varijs, varia & virtute parauit.
Nunc firmum Pacis decus exercere togatæ,
Atque parata ſuo ſub iudice bella mouere eſt.

HANNONIA 39.



N O B I L I S Hannoniæ montes attingit Eburo,
Et Samorabrinæ, properant quà lumina ſolis
Iam pridem exorta ad medium conſcendere olympum.
Flandria pulchra ſitu, cultis vicina Brabantis
Occiduo occludit fines ſub ſole iacentes.
Montibus in medys, media in regione locata
Delitiis luſtrata vagis Vrbs inclyta cultu

Floreſcit

Florescit vario, & vario splendescit honore,
Quæ varios inter quòd sit modò consita montes,
Accepit patrio Montis idiomate nomen.
Gallica lingua capit prima hic exordia, Flandro
Quæ partim mixta est, partimq́ idiomate Gallo.
Terra frugum, nemorumq́ potens, venatibus apta,
Fæcunda segete impletas producit aristas:
Quernaq́ ligna focis alimenta futura cremandis:
Auritos lepores, agiles & corpore Ceruos,
Et volucrum genus omne, genus simul omne ferarum:
Esca futura auido non contemnenda palato.
Pascua vernanti viridantia gramine turgent,
Lanigerumq́ pecus bene olentes ruminat herbas:
Dum paßim insultant hædiq́ agniq́ petulci
Floribus, aut summas libantes graminis herbas,
Aut aduersa nouis inter se cornibus vltro
Ludicra tentantes certamina, prorsus in iras
Non liuore vllo, aut vllo stimulante furore:
Et vitrei herbosis coeunt in vallibus amnes,
Pascentes niueos herboso flumine Cygnos.

ZELANDIA, *40.*

QVA *modò Nympharum mater pulcherrima Tethis*
Littus ad occiduum lunaribus æstuat horis,
Et vagus vndisonos deuoluit in æquora fluctus
Scaldis, & Oceani rapidis confunditur vndis.
Quinque ter occiduo merguntur ab æquore terræ,
Inter se variis distinctæ fluctibus, ambit
Quas Pater Oceanus magnis amfractibus, & quas
Flauus arenoso proscindit littore Scaldis:
Scaldis arundiferæ circundatus aggere ripæ
Multa Brabantæis adfert qui commoda terris,



Dum ſeſe exonerat Belgarum diues ab oris
In Pontum, & terram lauat alluuione frequenti.
Harum quæ media eſt, primùm poſſeſſa Britannis
Dicitur, & Wallis longa regione remotis
Culta diu, extremis quos miſerat Anglia ab oris:
Vnde fuit priſco Wallachria nomine dicta
Inſula; circuitu quæ millia continet octo,
Et tres inſignes munitas mœnibus vrbes,
Ardua tranquillo curuantes brachia portu.
AEquoris inſani primos Vlißinga coercet
Inſultus, hamosq́; extendit Vera latentes:
Occluditq́; lacus ſinuoſæ fluctibus Arnæ
Arnæmuda, nouos dum tollit in aëra muros.
Inſulæ in ipſius medio ſed tertia, quòd ſit
Conſita, vel fuerit Burgum quòd fortè Metelli,

Vana Metelburgum plebs incola nuncupat vrbem,
Mercibus omnigenis claram, clarámque Senatu,
Et superûm paßim templis, domibusq́ superbis.
Altera sed Scaldis de nomine Scaldia dicta,
Continet exiguis fundatam mœnibus vrbem
Nomine Circæam, quòd fortè hæc callida Circe
Sole sata incoluit loca, cæcis plena latebris,
Vel quòd Circæis hæc sit gens artibus vsa.
Insula factitio diues sale, claßibus æquor
Pertentat crebris. ea littora Graius Vlysses
(Iunius Hornano sic littore rettulit ortus)
Naufragio tenuit, Circesq́ cubile petiuit.
Tertia sola Gosam, & fruticantia pascua claudit
AEquoreis vndis, regio florentibus aruis
Diues, vbi molles carpunt in vallibus herbas
Lanigeræ pecudes nullo custode vagantes,
Sed tutæ æquoreis, & salsæ Tethyos vndis,
Raptorum insidias nunquam timuere luporum.
Mattiacis (veterum si vera est fama) colonis
Culta fuit Batauis similis gens, cauta, Profundi
Scrutatrix, pelagusq́ vaga rate scindere docta.
Mattiacam veteres populari voce vocatam
Affirmant vsu, aut consueta voce loquendi:
Quæ modò quòd magnis amfractibus æquoris albet
Terra, Zelandeo nunc tantùm nomine nota est.
Prima sed vt portu, ratibusq́ insignis aduncis
Exercet latè commercia multa per orbem
Insula, & æquoreos capit alto è gurgite pisces:
Sic quoque syluestresq́ casas, & agrestia tecta
Continet, atque sinu tellus pleno omnia fundit
Vndique: namque licet sit mersa tumentibus vndis
AEquoris, & vasto prorsus circundata Ponto:
Attamen, occiduo quà littora sole tepescunt,

Est locus irriguis circundatus vndiq; limphis,
Diis sacer, aut saltem, vt vulgata est fama, beatis
Semideis sedes æterna, dicata locorum
Præsidibus. Namque insoliti testantur opertum
Numen inesse loco subeunti, horrorq́; stupórque,
Seu faciem, speciemq́; lòci, siue additam eidem
Aspicias artem, varium artificumq́; laborem,
Siue operum structuram, impensarumq́; stupendum
Tam pretium, quàm seruatum mediúmque modumq;,
Ampla adeò excelsis consurgunt tecta columnis
Magnifico sumptu, luxúque ornata decenti.
Sed quibus & meritò dignos fateare, modestis
His qui delicijs, nitido cultúq; fruuntur
Et Proceres, multaq́; patres pietate verendi,
Hæc loca, numinibus mistæ quæ sæpe pererrant
Pierides, quondam dixere Διχώρια *Graiæ,*
Prædia in occidua quòd sint regione locata.
Haud procul hinc etiam sinuosi in rupe cauata
Littoris, atque ipso in medio candentis arenæ
Fons oritur viuus, vitrea pellucidus vnda,
Nais vbi implacidis immurmurat vda susurris
Assiduè stagnantis aquæ sensimq́; cadentis.
Qui rursum in latebras vbi mox absorptus opertas
Occultum molitur iter, cæcosq́; recessus:
Iámque alijs, alijsque recentibus vsque scatebris
Labitur exiguo per opaca silentia ductu,
Finitimos subter colles, subterq́; fluenta
Non sua, perq́; tubam fertur, venámque perennem.
Qui, siquando iterum aërias prorumpit in auras,
Paulatim æratis ructat siphonibus vndam,
Cæruleum secto quam tum de marmore labrum
Excipit, assuetum præbere sedilia Nymphis,
Sudorem nitidis detergere frontibus atrum,

Aut

Aut æstu cupidis languentia membra leuare,
A mensis, cùm iam iuuenes mistæq; puellæ
Lætitiaq; iocisq; hilares communibus horis
Inter se fallunt, alterna aspergine lætæ.
Inde iterum sese immiscet stagnantibus vndis,
Elicibusq; exultat ouans nouus aduena campo
Liberiore frui, & spatioso gurgite aquarum:
Qui circumcirca villam diffunditur omnem,
Et latè circumflexu loca cuncta pererrans,
Irriguos ambit hortos, & tecta domorum,
Vt liceat circum vectari quaque phaselo.
Imminet huic tumulus bibula collectus arena,
Vnica montiuagæ & nemorosæ cura Dianæ,
Siue oculis leporum secreta cubilia ab alto
Obseruare procul fessæ, somnóque iacenti,
Seu captare magis libuit Zepheritides auras:
Dum Nymphæ comites alternis vocibus aures
Oblectant. Hic sæpe solet Parnaside Cyrrha
Contempta pulsare chelyn Latous Apollo,
Argutumq; melos digitis percurrere eburnis:
Quem sequitur cantu Pimpleia turba canoro.
Mæonio aut iterans cantata poëmata plectro,
Aut rursum Andino mutata voce, poëta
Quale olim cecinit herbosi ad flumina Minci.
Hic Sol emenso, feßisque iugalibus, orbe
Abluit æquoreis sudantia corpora lymphis:
Et iuga Chrysolitho rutilantia demit anhelis.
Iam tum cùm media decursa parte diei
Noctifer accendit rutilantia sydera vesper.



TENDIT *Hyperboream latè Peninsula ad Arcton,*
Quà Pater Oceanus quondam turgentia Rheni
Cornua cæruleis immersit spumeus vndis:
Quà modò Mosa suas Belgarum diues ab oris
In Pontum exonerat magnis amfractibus vndas.
Hanc fortes Bataui, gens sæuo exercita bello,
Doctáque fluctiuagis proscindere claßibus æquor,
Spumeaq; æquoreas dare concaua vela per vndas
Incoluêre, cauo quæ nunc quia littore cincta,
A cauitate sua dicta est Hollandia nostris.
Lini est terra ferax, & dotibus vberis arui
Diues: nam validis villis, ornatáque vicis,
Cúmque nouem bis denis vrbibus, omnia largè
Suppetit ad victum quæ humanus postulat vsus,
Cascolos, Butyrumq; boni duo maxima lactis

Commoda

Commoda, & imbelles hædos, cum pinguibus agnis,
Nec non & lepores, celsosq; in cornua ceruos.
Circuit hanc Pontus, Rhenus, bifidóque meatu
Nimboso Vogesi labens de vertice Mosa,
Quæ variis oris Vahalis Dordracea cingit
Mœnia, & ingenti disterminat amne Brabantos,
Dum proprias miscet stagnantibus æquoris vndas.
Olim hæc terra fuit cursu peragenda pedestri,
Quæ nunc tecta mari naues & vela requirit.
Ipsáque Romana à legione exordia sumens
Læda, caput quondam Batauorum, pallia texit
Lanea, & Aoniis simul est exculta camœnis.
Rotterodama vagi torquent quam cornua Rheni
Nominibus distincta suis, freta nauibus vrget,
Æquoreosq; capit vicino è gurgite pisces:
Quæ natale solum modò magni quòd sit Erasmi
Gaudet, & in puerum quòd luminis edidit oras.
Non procul à Delphis locus est fundatus arena
In media, Bataui Comitis penetralia, & alta
Regia, perpetuo vernant vbi gramine campi,
Et fruticosa auium resonant virgulta susurris,
Obsitus hirsutis dumis, & vepribus altis:
Vnde sibi sumpsit titulos idiomate Belgo
Vepribus à densis, & amantibus ardua dumis.
In medio vetus arx, author intercidit annis,
Exerit ingentes ad lucida nubila turres:
Quam Batauus Princeps olim coluisse refertur,
Æqua suis placuit dum reddere iura colonis,
Aut excire feras cornu, perq; alta vagari
Lustra, vel incultos saltus, atque inuia rura,
Aut vigili obscuras indagine cingere siluas.
Hic illos videas quos purpura vestit, & aurum
Integra iura breui, legumq; euoluere nexus:

Vnde huc ex omni venientes parte clientes
Consilium, & rerum quærunt responsa suarum.
Ipsa simul Batauæ non infima gloria gentis
Amsterdama, cui flumen, cataractaq; nomen,
Et dedit ingentes studium virtutis honores,
Exercet latè commercia multa per orbem:
Dicta prius Damum fuerat, cùm rustica vita,
Paruaq; vel minimo placuere mapalia sumptu,
Nunc verò fortuna simul, tum nomen honorum
Creuit, & innumero circumspicienda decore,
Molibus æternis extructas erigit ædes.

FRISIA, 42.



ALLVIT *Oceanus Frisias Germanicus oras,*
Parrhasis algenti quà stridens Arctos ab axe

Sibilat

Sibilat, & tumido ferus atterit omnia flatu.
Separat occidua Vidrus has parte Sicambris,
Herbosoq; fretum qui flumine turbat Isella.
Ipsa sed Eoam partem Regionis Iada
Terminat, & medio sita Westphala terra sub orbe est.
Terra ferax pecorum est, saturas cui pinguia reddunt
Prata boues, cui pingue pecus dant pascua læta:
Gramine fæcundo felix, & plana, palustris:
Sed quoniam lignis careant, vel stercore sicco,
Cespite vel nigro, pinguiq; bitumine pleno
Viscera magna boum constructis ignibus vrunt.
Diuidit hanc medio prope mœnia nobilis Emdæ
In magnum exonerans Amasus sua flumina Pontum,
Accipit insanis hic qui cognomen ab vndis:
In partesq; secat binas, quarum vna sub ortum
Quæ iacet ad magni surgentia lumina Solis,
Innumeris plena est delubris: Altera Solem
Quæ vidit occiduum tribus exornata decemq;
Vrbibus & Pagis fæcundo gramine turget,
Vndique quos pictæ valles, quos frondea circum
Pascua, stagna, lacus, riui, vastæq; paludes,
Felicesq; agri cingunt, & pinguia rura.
At Gruninga caput regni, quæ nomen ab herba
Et viridi conualle tenet: (fundata vetusto
Sint licet affirment vrbis qui mœnia Gruno,
Atque vrbem, vt seri valeant meminisse nepotes,
Hinc fundatoris de nomine nomen adeptam)
Innumeris alias quia nunc supereminet vrbes
Dotibus, vt regni splendet regina locorum,
Ingeniisque vagis, cultúque ornata decenti,
(Vt Sol ante alios astrorum prominet ignes)
Et modò præcelsis templorum turribus, atque
Claret honorato qui regnat in vrbe Senatu,

Legibus & firmata ſuis in publica floret
Commoda, dum potuit tranquilla pace fruiſci.
Hæc patria eſt clari doctrinæ atque arte Rodolphi
Agricolæ, ſacras bifido qui monte ſorores
Deduxit quondam; dum Cyrrhea ſtagna bicorni
Interfuſa iugo vates Heliconius effert,
Linguarumq́ trium rediuiuas tractat habenas.
Flumine Nicer vbi montes furit inter amœnos
Et ſacris claret ſtudiis, clariſsima Phœbi
Heydelberga domus, toto notiſsima Mundo:
Cuius ibi cineres occluſit Viglius vrna,
Viglius interpres Legum, moderator & almæ
Iuſtitiæ, & Præſes inuicti Cæſaris aulæ.
Docca ſuum meritis Gemmam medica arte valentem
Elogiis effert, qui ſydera, ſigna, graduſq́,
Aſtrorumq́ vias docuit cum motibus ipſis,
AEquoráque immenſam paſsim cingentia terram:
Vincit vbi Aonij fontis vaga Dilia ripas,
Louaniumq́ ferax obſcura ſophiſmata ſoluit:
Dum variis artes ſtudiis, linguaſq́ recenſet.



VERA vetusq; fuit prouincia Westphala quondam
Saxonia, Imperij summas dum Magnus habebat
Carolus, & rerum mundi tractaret habenas.
Cuius aquosa secat sinuosis arua fluentis
Decurrens Amasus, per prata virentia latè
Exortus placido irriguis è vallibus amne.
Ipsáque surgentis regionis lumine Solis
Ora rubens, veteri vocitata Busactora lingua,
Clauditur irriguo Cherusci fonte Visurgi.
Excludit medios vaga montibus Hassia Soles,
Intonsiq; latus Frisij boreale tuentur.
Horridus in medio, syluis, atque arbore crebro
Mons est, circuitu bis sex cui millia passûm:
Cui quondam impositum est cognomen ab arbore, quemq;
Incola turba vocat Boembergum, nascitur vnde

Steuera

Steuera, quem placido ſociat vaga Lippia fluctu:
Lippia fecundo quæ ditat paſcua rore,
Paſcua marticolis nimium contermina Cliuis:
Paruus circuitu, magnus virtute, ſed amplo
Nomine, namque Ceres montem ſpicata venuſtat,
Chaoniæq; ornant excelſa cacumina quercus,
Prurima ſaxa graui profert cælanda labore,
Accola dum laribus parat inclyta condere tecta:
Hic foueæ vaſto lapidum panduntur hiatu,
Altiſq; eruitur ſaxorum copia foßis.
Templa Monaſterij hinc celerem ſpectantur ad Eurum,
Vertice dum montem Sturterus acuminat alto.
Margine digreditur viridanti Steuera fluctu,
Steuera vicino præbet qui nomina monti.
Ipſaq; Suſati ſurgunt altißima viſu
Mœnia, priſca ſitu, vt teſtantur temporis æuum,
Et veterum monumenta Patrum, annaleſq; vetuſti.
Oſnaburga olim tergo circundata tauri
Fluminis ad ripas Haſæ ſita, claret honore
Templorum, & celſa ſacrati Præſulis arce.
Idolûm cultrix gens non præfractior vnquam
Vlla fuit, magis aut vitijs exercita prauis,
Quæ magis aut Chriſti pia dogmata ſperneret, vllo
Indocilis vnquam cultu manſueſcere. Quare
Carolus inſignes titulo, & virtute verendos
Præfecit Proceres, queis relligionis habenas
Commiſitq; premi ſontes immitibus vſque
Supplicijs, veriq; Dei ſacra templa tueri.

DIT-



LIBERA terra fuit quondam Ditmarsia, lato
Holsatiæ resecat quam finibus amne Chalusus,
Et quam Germanus magnis amfractibus vrget
Oceanus, propriis admittens Albidos vndas.
Dicta fuit quondam (sic fama volubilis errat)
Thentomarsa velut Marsorum à gente reducto
Principio: Rheno quòd scilicet antè relicto,
Hanc Gentem referant his commigrasse sub oris.
Vrbibus est namque hæc nullis exculta, nec vllis
Arcibus: at stagnis, plenisq; paludibus aruis
Externum prohibent patriis à finibus hostem.
AEre lacus turgent, villarum culmina summa
Crustatis passim splendent ex ære tabellis.
Libera terra fuit, gens libera, viribus hostis
At tandem Holsatiæ, & mauorte subacta sinistro,

Vicino miserè est seruire coacta Tyranno:
Gens fortis, duro domitat sua membra labore,
Et terram rastris, durisq; ligonibus arua.

DANIA, 45.



INCLYTA *Germano circundatur vndique Ponto*
Dania, qui varias variis dum fluctibus oras
Circuit, & diris rapit intima quæque procellis,
A solidis multas terras disterminat oris.
Cimbrica quas Isthmo peninsula Chersonesus
Partibus annectit solidis, dum littore, & altis
Rupibus expellit venientes æquore fluctus:
Quà vagus Albis aquis turbans torrentibus æquor
Hamburgum, atque altas Lubeci despicit arces.
Hæc modò pars patrio est idiomate Iutia dicta,

Iutia Saxoniæ limes conterminus oræ.
Cui vicina iacet Solis surgentis ad ortum
Insula Fionia Hyberno circunflua Ponto:
Cernitur vtque illi occidua vaga Iutia ab ora,
Sic quoque ad Eoam præclara Selandia partem
Vergit, vbi æquoreis laceratur Scania ab vndis,
Scania Godtlandæ, & rigidis contermina Suedis.
Hafnia Metropolis, & Regni regia sedes,
Nunc Coppenhagem communi voce vocata,
Ostentat latè nitidas ditißima turres,
Saxeáque auratis constructa palatia tignis,
Et varias orbis merces, populiq; labores:
Hîc vbi cæruleo capiunt è gurgite pisces,
Roboráque excindunt aulas decorantia regum.
Insulæ at in medio Roschiltia nobilis ædem
Extollit magnis constructam sumptibus, in qua
Inclyta cernuntur Pario de marmore Regum
Busta, manu docta constructa, atque arte perita,
Maxima priscorum simulantia Mausolæa.

POMERANIA, 46.

TERRA *ferox, solido & naturæ munere vallo*
Communita, feros aduersus æquoris alti
Insultus, qua parte patent freta Baltica, latè
Ad vaga turritos attollit nubila montes:
Diues agris, fæcunda viris, & mellis abundans,
Et læti segete, atque opulentis nobilis aruis.
Quæ dum Vandalicis fuerat subiecta, Pamorzi
Dicta fuit, vicina salo quòd fortia circum
Scilicet extendat latè pomæria quaque,
AEquoreósque alto frænet quòd robore fluctus,
Rupibus & paßim sparsis, scopulisq; cauatis.



Hæc proprijs dominis ſemper regnata, Tyranni
Externi nunquam eſt ſæuos perpeſſa labores.
Terminat Eoos regionis Viſtula fines,
Viſtula nobilium cantatus carmine vatum,
Dum virides tenera prætexit arundine ripas,
Alluit & celebri Dantiſci mœnia fluctu.
Aſt Odera, à priſcis qui nomina Sueuus habebat
Per Stetina furens altum vada fertur in æquor,
Occiduamq; ſuo regionis terminat oram
Flumine, quà Zephyri ſpirant petulantius auræ,
Dum varijs turbant pomœria dura procellis.

SAXO-



QVICQVID arenosis Oderæ turgentis ab vndis
Ad medios vergit soles, Austrumq; tepentem:
Germanoq; freto, Turingæ ad pascua quæ nunc
Irrigat & Nessus, fusisq; liquoribus Vnster:
Saxonia id totum vocitatum est nomine prisco.
In cuius medio stetit olim turribus altis
Brunswicum vetus vrbs, cui quondam nobile nomen
Indidit Antistes Bruno, cùm aptißimus esset
Ardua ad effrænis huius moderamina gentis;
Qui verum cultum Diuûm sermone diserto
Instituit primum, & fidei fundamina iecit
Vnius, triniq; Dei, & qui cunctipotentis
AEterniq; Patris vera est sapientia Christi.

Nunc verò occiduam partem regionis, amæno
Decurrens fluuio per pascua plana, Visurgus,

Terminat, & curuæ decliuo tramite ripæ
Plurima Saxonicis deducit flumina campis.
At Danos, Cymbrósque tenet, quà Baltica cernit
AEquora, Pruttenos simul & despectat ab ortu,
Atque Silesitos, Oderæ quà flumina latè
Fæcundant viridi plenos Isatide campos.
Sed vada piscosi Mæni, & limosa Bohemi
Arua iacent vicina Austro, quà contrahit vmbras
Sol, medium cæli scandit dum flammeus orbem.
Cæsareos primùm titulos his intulit oris
Otto, quo melior nemo, vel amantior æqui
Aut fuit, aut fuerat multo pòst tempore rarus:
Qui fratrem, & generum vicit, natumq́; rebellem
Atque etiam Italiam duplici pacauit ab hoste.
Magna procul monstrat validos Euphordia muros,
Felix ante alias, & non ignobilis vrbes,
Quæ tantum spacij circo est complexa rotundo,
Quantum vicinis vnquam in regionibus vlla.
Diuidit hanc pulcher millenis flexibus vrbem
Editus Hercinia de quodam vertice rupis,
Dum peragit cursum dissecto flumine Hiera.
Lipsia se ostentat sublimibus aurea tectis,
Et procul excelsas attollit in æthera turres,
Mercibus & populo multum celebrata frequenti,
Nec minus & sacris sedes cultissima Musis.
Wittenberga bonis studijs, atque artibus apta,
Et rebus semper pulchris vrbs dedita, sacris
Tum pariter musis, pariter virtute decora,
Extollit celsos iuga per sublimia muros.
Ipsáque pro veteri quæ libertate tuenda
Magdeburga fuit discrimina plurima passa,
Dum pariter ciues, pariter cecidere coloni,
Qui voluere lares proprios tutarier, atque

Infe-

Infeſtum proprijs depellere viribus hoſtem:
Nunc latè refluis immurmurat Albidos vndis.
Hinc de gente vetus Miſorum nomen adepta eſt
Miſnia, virtutes quorum cecinere peractas
Scriptores rerum varij, celebreſq́; Poëtæ.

SLESIA, 48.



TERRA ferax, Regi quondam ſubiecta Polono
Sleſia, diuerſis circundata montibus, atque
Vallibus, & riuis ornata, & collibus altis,
Annua nunc Regi perſoluit iura Bohemo.
Hanc Odera irriguis mediam ſecat amnibus, atque
Vicinum ſocium Sleſum ſibi conuocat, à quo
Terra gerit proprium modò nomen Sleſia, vaſtis
Alta Vratiſlauiæ qui mœnia proluit vndis.

Effera

Effera gens, qua nulla fuit præfractior vnquam,
Impatiensq́ue magis freni, quæ tempore longo
Dicitur aßiduis vitam excoluisse sub armis;
Donec Conrardus, communi voce potentum
Romani Imperij Procerum, sub iure tributi
Addixit Regi terram cum gente Bohemo.
His licet Autumnus Baccheïa dona negarit,
Est tamen ampla Ceres, & opimus campus aristis,
Quam coctam indigenæ miscent fluuialibus vndis.

BOHEMIA, 49.



LIMITE *Germano vallata Bohemia circum,*
Herciniisq́ue iugis, sinuosi atque Albidos vndis
Cincta vagis, pingui tellus vberrima gleba
Læta suis præbet cum fænore vota colonis.

Frigida

Frigida ſit licet, & nulla ſit fertilis vua,
Fruge tamen laticem generoſi imitatur Iacchi.
Hic varÿ gelidis ſerpunt ſub collibus amnes,
Cæruleo pingues paſcentes gurgite piſces;
Multiplicesq́; vagis paßim cum floribus herbas
Fertilis effundit viridanti gramine tellus.
Potibus eſt regni Gens dedita, dedita ventri,
Albicola à vitreis vicini fluminis vndis
Dicta, ſuperſtitione, & vano plena timore.
Praga vetus ſedes, & regni regia, celſos
Attollit muros ad Muldæ fluminis vndas,
Hic vbi celſa nitent aurato culmine tecta,
Quæ valido circum cinguntur & vndique vallo:
Coniungitque nouam bis denis arcubus vrbem.
Saxeus imbriferi Pons frænans fluminis æſtum.
Hic ſimul & Miſa, & Luſmadia, Sarſaniumq́;
Albidos ad ripas non vno tramite tendunt.
Wattaq́; cum Cuthna terræ è penetralibus imis
Ingentes auri maſſas, & plurima puri
Argenti effundunt, nec non & pondera ferri.

AVSTRIA, 50.

CLARA *viris, antiqua armis, atque vbere glebæ*
Terra potens, quam Danubius prætermeat ingens,
Et dulci totam alluuio fæcundat aquarum,
Auſtria, Romani Imperÿ caput, africus Auſter
Quam beat, & proprio nomen de nomine linquit,
Magnificas validis attollit mœnibus Vrbes,
Et validas celſis paßim cum mœnibus Arces.
Pannonia eſt olim, ceu ſacri Pæonis Aedes
Appellata, vagis ripis quæ iuncta Leytæ
Aſpicit Hungariam ſolis ſurgentis ab ortu:



Sed quà noctifero procedit Vesper ab axe,
Norica regna iacent, Bauaro contermina pingui:
Et Stiriæ montes Austri fumantis ad axem,
Atque superba iacent Sauiq́; Drauiq́; fluenta.
Sic Morauinus ager Teyo cum flumine fines
Terminat Austriacos ad septem plaustra trionum.
Ipsa Vienna caput regionis, plurima contra
Sæpius infrenes gessit quæ prælia Turcos:
Ardua cum vastis nunc propugnacula fossis
Erigit, & Regum turrita palatia, tumq́;
Cæsaris excelsas arces, Stephanique superbum
Delubrum, & variis excultos floribus hortos.
Vrbs vetus, Imperij domus Augustissima rerum:
Toruus vbi & ripa semper metuendus vtraque
Flauentes torquet Germanicus Ister arenas,

Vanda-

Vandalicis, Brenniſq; viris, habitata Boiſq;
Antè fuit, donec Romanis faſcibus, atque
Libera colla darent Italo ferienda ſecuri.

FORVM IVLII, 51.



Est *locus Euganeis, Henetiſq; habitatus aquoſis,*
Et leuibus Gallis, poſt diruta Pergama, Iuli
Quem dixere forum, ſua per contermina Carni,
Ad fæcunda ſitus generoſis vitibus arua,
Et quos Euganeus colles rigat amne Timauus,
Ad mare Tergeſtum, quod turbidus Adria ſæpe
Fluctibus inſanis, vaſtaq; voragine torquet.
Hic ſenſim in tumulos creſcit, colleſq; ſupinos,
Qui pòſt in validos conſurgunt vertice montes,
Et veluti valido defendunt intima muro.

 Et modò

Et modò pampineo vestiti palmite paßim
Dulce merum indigenis, Bacchėia dona, ministrant:
Dum grauidos onerat vindemia grata racemos.
Istria ad AEolium regionem terminat Eurum,
Illyricíq; latus montes Boreale tuentur.
Vindelici saltus, Alpesq́, & Norica rura
Despectant latus occiduum, vagus Adria quartam
Aequore Tergesto partem fecundat ad Austrum.
Hunc (modò credendum si sit scriptoribus) ampla
Dux Venetûm ditione locum premit, atque Senatus.
Qui memores genus vnde trahant ab origine prima,
Indigetant Patriam, & Venetæ incunabula gentis.
Ipsa potens fortes Aquilegia despicit Istros,
Mœnibus & cincta, & placido celeberrima portu:
Totius Italiæ fuerat quæ ianua quondam:
Sed pòst barbaricis obiecta furoribus, eheu,
Infelix cecidit pro victa victima terra,
Omnia cùm sæuus contermina perderet Hunnus.
Vtina principium trahat vnde aut nominis ortum,
Non monumenta Patrum, non annua scripta recensent:
Sed mercatorum Emporium fragmenta fuisse
Testantur lapidum, atque loci mercatibus apti.
Producit medicas Goritia nobilis herbas,
Elleborum, tristes rutas, Absynthia amara,
Lætaq; Pentaphylla, soporiferumq́; papauer,
Tum quas hic hominum communis postulat vsus,
Ocima, Coryceumq́; crocum, Thymbramq́, Thymumq́,
Atque hirtis Bulbos cyrris, Rhaphanosq́; salubres.
Hic paßim eruitur iuga per nemorosa metallum,
Argentóque micant stannóque, auróque fodinæ,
Marmoráque excindunt tum nigra, atque alba colore,
Beryllum viridem, & crystallina frusta cauernis.

ITA-

MAGNA Parens rerum, Mundi totius alumna,
Naturæ gaudentis opus, summo æmula cælo
Italia, iucunda situ, nitidissima cultu,
Gratáque felici Diis immortalibus ora;
Diues opum, diues Regio florentibus aruis,
Deliciæ, sedésque Deûm, suauissima Tempe,
Florida Musarum domus, ingens Regia Phœbi,
Hospitium sacris, & Asylum dulce Poëtis:
Prouida cunctarum virtutum mater, & alma
Heroum genitrix, Mater fœcunda virorum,
Nympharum nutrix, vbi doctæ Pallados arces
Consurgunt, vbi Iuno grauis, turritáque mater,
Et viridi gaudens colitur Feronia luco:
Italia imperiosa gerit pia sceptra per Orbem,
Et longè terris alio pæne orbe repostis
Imperat, & cunctis dominatur gentibus Orbis,
Nobilibus clara ingeniis; Saturnia primùm
Dicta, Iouis magni fugiens quòd falciger iram,
Has coluit sedes, hac sit tellure receptus,
Culturamq; rudis primùm hic monstrarit agelli:
Vnde diu priscis mansit Saturnia nomen.
Estq; latente Deo Latium quoque dicta, sed inde
Hesperia à Graiis, & ab Ausone dicta Pelasgo
Ausonia, in Latio qui primùm condidit vrbem
Aruncam, & validis cinxit noua mœnia vallis.

Hanc primùm Hectoreæ caderent quàm mœnia Troiæ,
Oenotrii coluere viri, nunc fama minores
Italiam dixere, Ducis de nomine gentem:
Quam querno assimilem folio vagus Adria, Ponto
Ionio commixtus, & auxiliaribus vndis
AEquoris Hetrusci totam fere circuit, altis
Ni tegerent quartum latus Alpes rupibus, vnde
Collibus Italiam sublimibus Apenninus

Erigit, atque inter geminas sese exerit vndas
Inferni superíque maris, qui floridus almo
Semper vere nitens, riguis exuberat vndis,
Producens grauidas merces, & munera Bacchi,
Pallentésque oleæ fœtus, armentaq́ læta.
Nec minus & bello insignes, & cursibus aptos,
Fundit equos, nitidis chalybum splendescit arenis,
Atque auri riuis, puri argentiq́ metallo;
Marmoraq́ excisis candentia montibus explet,
Quæ candore niues superant, atque alba ligustra:
Vnde cauis surgunt constructa palatia tignis,
Tectaq́ marmoreis ciuilia fulta columnis.
Ipsæ vrbes validis circumcinctæ arcibus, amplo
Naturæ ingenio ostentant decora alta potentis
Italiæ, & charam Diis immortalibus oram.
Hinc quoque militiæ parit armorúmque magistros
Scipiadas, claros Marios, fortesq́ Metellos,
Inuictosq́ mora Fabios, Brutósque feroces,
Marcellosq́ acres, admirandosq́ Catones,
Scriptoresq́ sacros rerum, sacrosque Poëtas,
Cæcilios, Plautos, Varios, cultósque Tibullos,
Nasones, Caluos, immortalésque Marones,
Quos Dea fæcundo partu est enixa creatrix:
Scilicet vt validis defendant viribus Orbem,
Atque regant terram imperiis, & cærula regna,
Iustitiamq́ coli mandent, ritusq́ sacrorum,
Et cælum, cælique vias & sydera monstrent,
Vtq́ sacris validas defendant viribus vrbes,
Et placidos longa populos in Pace gubernent.
Terrarum Princeps, Fidei domus inclyta sacræ
Roma, caput Mundi, quæ proxima Tybridos vndis
Mole sub ingenti rerum fundamina ponit,
Romanos rerum dominos, gentemq́ togatam

Laudibus innumeris ſublimi exæquat Olympo:
Dum ludunt gemini penſantes vbera nati
Officioſa Lupæ, ad fontis vada ſacra Numici,
Et Thuſcum Tyberim, & Romana palatia ſeruant.
Vtq́ olim à fatis Romæ eſt conceſſa potenti
In terrarum orbem dominandi ſumma poteſtas:
Sic quoque & arbitrium noſtræ poſt fata ſalutis
Summus habet Præſul Romanus, purpura & auro
Et triplici frontem cinctus diademate: Patres
Purpurei tribuunt cui ſumma negotia cæli,
Fas quibus eſt portas ſublimis claudere Olympi,
Atque iterum reſerare, ſimulq́ abſtergere crimen,
Pro votoq́ reum æternis damnare tenebris.
At quæ cæruleis pulcherrima ſurgit ab vndis
Vrbs Venetûm, fundata mari, caput ardua cælo
Molibus excelſis, atque altis turribus æquat.
Atque potens opibus terreſtribus, imperat vndis,
Terrarumq́ regit Neptuni viribus orbem.
Claſſe potens ſumma cum maieſtate vadoſa
Regna premit, Pontiq́ immenſum temperat æquor.
Legibus hanc iuſtis Patreſq́ Duceſq́ gubernant
Ipſis ingenio Dijs immortalibus æqui:
Quas neque Iuſtitiæ fama, nec laudis honore,
Nec gens conſilio mage claruit vlla per orbem.
Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo,
Proluit hanc Atheſis fecunda fluminis vnda,
Per mediúmq́ ſecat millenis flexibus vrbem.
Illam Thebanæ gaudentem nomine Mantus
Mincius irriguis latè circumfluit vndis:
Quem recipit blando fremitu Benacus, & æſtu
Influit Eridano per pinguia paſcua eodem:
Deflet vbi extinctum crudeli funere Daphnim
Tityrus, & cogit ſaturas ad mulctra capellas.


Italiae Nouissima Descriptio
Septentrio
Oriens
Meridies
Occidens
Mare Adriaticum sine superum nunc Golfo di Venetia
Mare Ligusticum
Mare tyrrhenum Sine Inferum
Maris Mediterranei pars
Corsica
Pars Sardiniae
Gallia pars
Lombardia
Tirol
Dalmatia
Albania
Crouatia
Istria
Venetia
Roma
Campagna
Basilicata
Calabria
Miliaria Italica
10 20 30 40 50 60 70 80 90 100

Inclyta Parthenope Sebethi vberrima lymphis,
Littora Cumarum, viuacísque antra Sibyllæ,
Elysiasq́; domos, & regna nouißima mundi
Exeruit quondam, nunc nutrix culta virorum,
Diues agris, iucunda situ, clarißima cælo,
Fontibus, atque hortis, longè pulcherrima, sæuis
(Sic voluente vices fato) deseruit Iberis.

LARIVS LACVS, 53.



D V L C I B V S *arua Lacus fœcundat amæna fluentis*
Vndique quem cingunt colles, cum collibus horti,
Pampineæ vites, & amicti vitibus vlmi,
Et saltus, vallesq́; vagis venatibus aptæ.
Cui Larus instantis index prænuntius auræ

His

His vario clamore strepens sub fluctibus ales,
Aut dedit, aut patrium accepit cognomen ab vndis
Dulcibus, à Græca deducto nomine voce,
Quo non, aut placidis riuis, formosior alter
Est locus, aut aruis, aut se findentibus vndis,
Fertilitate soli, vel dotibus vberis arui,
Aut bonitate loci, aut cæli bonitate salubris.
Hic etenim dotes Natura videtur, opésque
Explicuisse suas, totasq; ars æmula vires
Larga felici quid posset copia cornu.
Hic Chloris, Pomona, Pales, rubidusque Priapus,
Quicquid habet Pestanus ager, Pomaria quicquid
Alcinoi, Hesperidum celebres vel Adonidos horti,
Inter se vnanimes delectum prorsus in istum
Congessere locum, atque suos posuere penates.
Vulturrena vago cum murmure pascua inundans
Abdua, & herboso decurrens tramite, dulces
Auget aquas, seseq; infert stagnantibus vndis:
Hîc vbi sublimi vaga vertice nubila tangit
Olonia, vmbroso sub amæni culmine collis
Consita, fluminea prope littus turris in vlua.
Parte alia, qua se vaga Trocia vallibus explet,
Et Saxina leues tondent virgulta capellæ:
Nigra cauernosis explentur marmora fessis,
Et turget lætis Gessinus pampinus vuis,
Cultáque Cultoneos agros vineta coronant.
Mandellanus ager, vallisq; Assina, Bilaci
Ostentat rupes, scopulorum mole reuulsas:
Qua patet ad Stagni varias properantibus oras
Accessus, fragili per spumea cærula cymba:
Ipsa Lacus rigidos pars quæ contendit ad axes
Læta iugis nemorum est, sed multo lætior agris,
Ruricolæ Cereri, & tenero gratissima Baccho,

Nec

Nec minus aruicolis pastoribus: alma recludit
Vere nouo dum terra sinus, dum pinguia vernant:
Pascua, & alta terunt pastores otia læti,
Et patula æstiuos vitant sub fronde calores,
Dum pecus herbosis impunè immittitur agris.
Hinc procul æstiferum qua tendunt Stagna sub Austrum,
Alta vagis Comi consurgunt tecta columnis;
Magnifico sumptu, luxuq; ornata decenti,
Vrbs primùm Orrobiis Gallis fundata, deinde
Amplificata, noui insignitáque nomine Comi, est,
Cùm foret à magno deducta colonia Iulo.

MEDIOLANI DVCATVS, 54.



FERTILITATE soli, & cæli dulcedine, capti
Gallorum populi, duris quos semper in armis

Exegisse

Exegisse ferunt vitam, vicináque circum
Regna fatigasse, & depulsis ciuibus vrbes,
Et vastasse suis cæsis cultoribus agros:
Agmine turmatim collecto, atque impete facto,
Transiliunt Alpes, fusis certamine Thuscis.
Et procul à tergo patria tellure relicta,
Vicatim has terras coluere, vbi florida prata,
Et gelidi fontes, Ticini ad fluminis vndas
Vere nouo præbent spectacula mille colorum,
Quà Mediolanum cultis caput exerit aruis,
Fortibus armisonam concludens mœnibus Arcem.
Hanc sacram indigenæ terram dixere, quòd olim
Pallados armigeræ studio, curáque fideli
Culta fuit, quæ nunc mutato nomine Thecla est:
Vnde tenet Regio patrium cognomen ab vrbe
Metropoli, patrijs gestans pro insignibus anguem,
Faucibus efflantem tenerum per inane puellum.
Hæc modò nobilibus domibus, tum duplice muro
Amplificata, foro spectabilis, atque Theatro,
Arcibus & templis reliquas supereminet vrbes;
Fœcundis clara ingenijs, sanctóque Senatu,
Ciuibus, ingenua tum nobilitate, & honestis
Artificum studiis, florentis vt æmula Romæ.
Hæc Regio antiqua dicta est Insubria voce,
Cùm proprium populum (quæ sors asperrima belli)
Excußit propria patria furor improbus, & cùm
Indigenas longa tum libertate quietos,
Vastauit pugnæ Gallorum insana libido.
Sic quoque laurigeris Musis aptißima sedes
Fluminis ad ripas Ticini condita, latè
Floruit ingenti studiorum nuper honore,
Effundens claras fecundi pectoris artes,
Docta Lycia velut, schola vel diuina Platonis:

Sed postquam terram cœpere accendere bellu
Insidiæ, & victæ expultrix Discordia Pacis;
Post varias hominum clades vltróque citróque
Acceptásque datásque, & funera multa virorum,
Concidit omnis honor studij, & monumenta prioris
In flammam & cineres paßim hosticus ignis adegit.
Non procul hinc Mutinæ colles, atque alta Cremonæ
Mœnia, fatidicæ & Mantus fundamina (quorum
Mincius ingenti percurrit flumine ripas)
Concaua verticibus frondosis nubila tangunt.
Cernitur hic quoque lactis opum ditißima Parma,
Parma olim Petri Romani vincta cathedra,
Sed post Pontificum possessa nepotibus, explet
Tanta ferox hominum regnandi corda voluptas.

PEDEMONTANA REGIO. 55.

EST *locus, irriguis per quem delabitur vndis*
Nobilis Eridanus Vesuli de vertice quodam
Editus, Italiam nascentis Solis ab ortu,
Et Ligurum Notio fines qui terminat orbe.
Taurinæ gentis Regio, cui Gallia diues
Adiacet occiduo, & Rhiphæo Duria ab axe,
Vrbibus exornata vagis, & pinguibus aruis
Et varijs quæ prata rigant opulenta fluentis.
Ferri est terra ferax, chalybis nam copia duri,
Rupibus excisis, & foßis montibus altis,
Aruorum in nitidis latè hîc splendescit arenis.
Ipse Padus per culta fluens trifido ore serenos
Fæcundat campos, & fluctibus alluit vrbis
Mœnia Taurinæ, quam elumbem ob gutturis vsum
Indigenæ Turina vocant, qui Marte feroci



Et duris soliti vitam exegisse sub armis
Vicinos æquis expellunt viribus hostes:
Sed subiecta Duci fruitur nunc pace Sabaudo.
Non procul hinc tutas quà sese extollit in auras
Eridanus, plenóque tumet super aggere lato
Flumine, contractis vrbs mœnibus ardua tecta
Exerit ad vastas lapidum Luserna fodinas,
Et Paisana Padi liquidis circumflua lymphis
Expedit effoßis candentia marmora cryptis.



ILLA ego terrarum qua non florentior vlla
Tuſcia, quam Ligurum reſonanti à finibus amne
Separat, Hetruſcæ prope Lunæ mœnia, Macra,
Et Latio Tybris, cælo gratiſſimus amnis:
Impoſui leges populis, & nomina Ponto
Inferno & Supero, miſſos auxiq; colonos,
Imperiúmque Italos trans fines, fœdera natis
Dum ſeruata meis, ſed me Diſcordia præceps
Romuleæ genti domitam ſeruire coegit:
Quæ decus antiquæ longo pòſt tempore linguæ
Auxilij malè grata mei, malè grata laborum
Abſtulit, & manſit nomen quod thura dedere
Arcades, & Lydi, quod vel mutare Pelaſgi
Non auſi, ſacras quibus has conceſſimus oras.
Ipſa caput medijs Florentia vallibus effert,

Totius

Totius Italiæ veluti flos inter amœnos
Herbiferosq; hortos; & apricos collibus agros:
Quam vagus obliquis fæcundat fluctibus Arnus,
Per mediumq; secat, mediamq; interluit vrbem,
Et variis vario attollit de marmore templum
Constructum tabulis & sacro fonte sacellum
Nobile, cui simili de marmore proxima surgit
Turris inaurato sublimia vertice tangens
Nubila, fulmineo numquam violabilis ictu.
Huic fulgent auro portæ, atque ære corusco
Atria, & auratis rutilant laquearia tignis.
Hîc passim videas per compita strata viarum
Regalésque domos, fora, propugnacula, pontes,
Aureáque auratis constructa palatia tectis
Strozarum Medicûmq;, intus splendentia luxu
Magnifico, doctis celebrari digna Poëtis.
Nobilis hanc ditione premit Medicæa propago,
Totius Hetruscæ columen, & gloria terræ,
Eximiumq; Ducum decus, & qui tempore longo
Æternum patrium seruabit nomen in æuum.
Pisa vetus, fluctu quam proluit Auser & Arnus,
Educta Alphæis primæua ab origine Pisis,
Deuicti quondam spolijs Orientis onusta,
Vrbs Hetrusca, solo desertas exerit arces,
Quondam diuitiis & nobilitate superbas:
Quæ dum insana suam petit vltra plurima sortem
Amisit propria, & dominis nunc paret iniquis.
Attamen hic splendoris adhuc monumenta supersunt
Plurima, & antiquo rutilantia multa nitore:
Nam primum excelsis templum sublime columnis
Assurgit, fama notum super astra perenni:
Cuius erat supero cælatum in limine portæ
Imparibus numeris carmen tetrastichon hocce:

Quod nec mille boum poterant iuga iuncta mouere,
Et quod vix potuit per mare ferre ratis,
Boccæti nisu, quod erat mirabile visu,
Dena puellarum turba leuabat onus.
Area post multa cum relligione verenda
Conspicitur, forma quadra qua conditus olim
Gloria Romani Decius fuit inclyta iuris,
Atque decus medicæ Matthæus Curtius artis:
Vndique quam celebri pictura circuit ingens
Porticus ornata, at bifores in limine valuæ
AEre nitent, sunt candenti de marmore postes.
Turris at inclinata foris, minitansq; ruinam
Recta vagas intus sursum se attollit in auras:
Cuius in opposito crustatum marmore læui,
Atque intus varia cælatis arte figuris
Ornatumq; sacri Baptismatis amne sacellum
Conspicitur, portis rutilantibus ære corusco.
Hinc vaga turritos decies sex millia distans
Ostentat muros ignota ab origine Sæna,
Sæna olim insignis deducta colonia, quæ nunc
Hetrusci subiecta Ducis ditione potenti
Abstinet & bello, colit & sub pace quietem,
Virtutum celebris, doctrinarumq; magistra:
Quæ iuuat officijs externos, maxima egenis
Tecta dat, infirmósque iuuat valida arte medendi.
Huic Pius AEneas, decus immortale secundus,
Syluius est vrbi, triplicem qui fronte coronam
Gestauit, sacro præfectus Pastor ouili.



ILLA Poëtarum ſtudiis aptiſsima quondam
Parthenope, Heſperias latè protenſa per oras
Imperium terra atque mari virtute parauit:
Atque ſuos fines extendit ab amne Truento
Adriacoq́ freto, Fundana per arua, lacuſq́,
Littoraq́ Hetruſci poſitu pulcherrima Ponti,
Ad Mare Meſſanum, atque anguſti clauſtra Pelori,
Scyllæos ſcopulos, Salentinoſq́ receſſus:
Seruitióque premit Locros, Meſſapiaq́ arua,
Lucanos, Calabros, extremíque ora Tarenti,
Oenotrios, Daunos, Campanáque paſcua, quicquid
Inferni Superiq́ maris concluditur vndis.
Ipſa ſed Vrbs Regum ſedes ampliſsima, latè
Vicinas inter reliquas ſupereminet vrbes,
Et modò Campanæ palmam fert vnica terræ.

Quam

Quam modò pampineis viridis Vesuuius umbris,
Frondiferis syluis, & opertus gramine campis;
Et modò diues opum Campania, diues & aruis
Collibus apricis, paßim & redolentibus hortis,
Frugibus excultis, & amœnis fructibus ornat.
Cui quondam molles ritus, atque hoſpita Muſis
Otia, & exemptum curis grauioribus æuum
Sirenum dedit vna, ſuum & memorabile nomen:
Virgineo quondam cùm nata Achelois ab amne
Subdola regnaret cantu hic, cùm & dulce per undas
Exitium miſeris caneret malè proſpera nautis.
Nomine mutato pòſt dicta Neapolis hæc eſt:
Sint habitata malis hæc quòd noua mœnia Graijs.
Non procul hinc Megaris quam circuit undique Pontus
Inſula, quæ tereti tenuit cognomen ab ouo,
Arx & celſa fuit Luculli diuitis olim,
Nunc veluti rupes extat caua, fonsq́ perenni
Dulcis aqua, vinum quem olim dixere priores,
Sole ſub ardenti vicinos irrigat hortos,
Eupleæq́ antrum nunc multos ſeruat Echinos:
Et pelago Neſis circundatur undique, magna
Pars quæ Pauſilipi quondam fuit, æſtus & undæ
AEquoris auulſere ſolo, ſquallentia Pumex
Concauus exeſis tophis teſtudinat Antra:
Antra, Acheronta cauis penetrantia nigra latebris,
Eumenidum quondam latebroſa cubilia, flammas,
Et piceos quondam latè ſpirantia fumos.
Vertice nec procul hinc ſublimia nubila tangit
Mons cauus, AEneæ ſocij de nomine dictus
Miſenus, ſummo celſam qui vertice turrim
Continet, accenſa quæ per mare lampade ſeris
Nocte procul nautis optatos exerit ignes.
Hunc prope tranquillo curuat duo brachia portu

Pontus, vbi ſtatio fuerat tutiſsima quondam
Romanis ratibus Neptunia ad arma paratis,
Romani Imperij dum res Auguſtus haberet.
Nullus in orbe locus Baiis præfertur amænis,
Quæ nactæ à ſocio nomen prudentis Vlyßis,
Eheu nunc faciem prorſus mutata priorem
Externata trahit per rudera dira ruinas:
Et licet ipſa loci iacet, interiitq́; voluptas,
Non tamen vtilitas ceßit: namque vnda vaporq́;,
Improba mortiferi pellunt contagia morbi.
Cúmque ſalute colunt, & adhuc hoc tempore, fontes
Indigenæ, morbis ſi conflictentur iniquis:
Præcipuè celſo ſita ſudatoria monte,
Extremi quorum turgentes ſulphure fontes
Effundunt nigros mixta caligine fumos.
Hic lentiſciferum cliuoſis mœnibus olim
Linternum, & quondam fatorum conſcia Cuma,
Proſternata iacent, confractáque rudera monſtrant.
Nec procul hinc, violenter aquis Vulturnus adauctus
In mare prorumpit, magniſq́; anfractibus ambit
Inarimen, Prochytámque, prius ſed tecta recentis
Pulchra quidem Capuæ, ſed non æquanda ruinis
Priſcæ vrbis: longè hinc ſtat & altera ad æquoris vndas
Cui Caieta dedit nutrix Æneia nomen
Littoribus moriens inter monumenta vetuſta.
Appulus Adriacas exit Garganus in vndas,
Vnde palam Auſonij poſſunt circum vndíque campi
Et Diomedis agri ſpectari, Italiq́; receſſus:
Spumanteſq́; olim Romano ſanguine Cannæ,
Quà ſinuat curuis properantem flexibus vndam
Aufidus, ingenti dum murmure ſæuit in æquor.



TERRA *tribus vastum scopulis procurrit in æquor,*
Læta iugis nemorum, sed multò lætior aruis
Spicata cerere & tenera gaudentibus vua,
Trinacris, abiectum magnis quæ molibus vrget
AEthereas ausum sperare Typhoëa sedes:
Quæ quondam Italiæ fuerat pars: Pontus & æstus
Mutauere situm, rupit confinia Nereus
Victor, & agnatas interluit æquore terras,
Abscissas cohibens sæuo coniungier æstu.
In mare decliuum latè caput inde Pachyni
Respicit Ionias exesis rupibus iras.
Hinc latrat Getula Tetis, Lilybæaq; pulsat
Brachia consurgens, hinc dedignata teneri
Concutit Ausonium rabies Tyrrhena Pelorum.
Hæc boream versus timidis est inuia nautis,

Ausoniæ

Ausoniæ pars hæc quondam quòd iuncta potenti,
Sit solidis auulsa locis, latrante Charybde,
Et Scylla, quæ ter capit, & vomit æquora; tingat
Antè suos oriens quàm Phœbus in æquora currus.
Quorum saxa ferunt hinc respondere per æquor,
Quassata Ionio Pelopæa ad regna Profundo.
In medio scopulis se porrigit Aetna perustis
Enceladi bustum, qui saucia membra reuinctus
Spirat inexhaustum flagranti pectore sulphur.
AEtnæos apices solo hinc cognoscere visu,
Non aditu tentare licet: pars cætera frondet
Arboribus, teritur nullo cultore cacumen.
Enna Deûm sacris quondam celeberrima lucis,
Ingentem laxans Siculæ telluris hiatum,
Cæcum iter ad manes, tenebrosáque limina pandit:
Nec minus ipsa tamen cereali munere felix,
Et viridi paßim pubescens gramine, latè
Cespite florigero iucundos afflat odores,
Pallentes violas, & purpureos Hyacinthos:
Attamen & siluit Stygij fera furta Tyranni,
Et raptus Siculæ per prata Ennæa puellæ.
Arte Perillæa veros imitata iuuencos
Acragas, & quondam rigidis habitata Tyrannis,
Crudelem Phalarim, lingua prius ense recisa
Exuit & regno, tauróque inclusit aheno,
Atque vbi torreret subiectis corpora flammis,
Mutabat gemitus mugitibus, actáque veras
Credere erat stabulis armenta effundere voces.
Ipsa freto incumbens, nimium Messana reuulsa
Italia, summa flammas in littoris ora
Exerit, & portus pandit sinuosa capaces.
Atque Syracusæ patulos vrbs inclyta muros
Erigit, & validas ferientes nubila turres.

Diues opum, ratibus statio fidißima feßis,
Explicat innumeras gazas fœcunda Panormus.
Ipse per Aetnæos Acis petit æquora fines,
Dum sese pulchro Galateæ gurgite miscens
Spumosis glaucam Nereida proluit vndis.
Atque Arethusa suum salebroso fonte receptat
Alphæum, Siculæ gaudentem amplexibus vndæ.
At Camerina palus nunquam concessa moueri,
Et Gela vorticibus rapidis metuendus, olenti
Sulphura commiscent cœno Lernæa, locúmque
Inficiunt omnem putri fœtore propinquum.

SARDINIA, 59.

HVMANAE *in speciem plantæ se magna figurat*
Insula, Sardiniam veteres dixere coloni:
Serpentum tellus pura, & viduata veneno,
Sed tristi cœlo, & multa vitiata palude.
Hæc maris Hetrusci spumantes aspicit vndas,
Quà miseris aurora diem mortalibus almum
Exerit, atque nouis conspergit roribus herbas.
Sed quà sol medium cœli conscendit olympum
Aspicit ardentes Libyæ sitientis arenas
Hîc vbi nunc Libyam contra fundata potentem,
Tenditur in longum Calaris, tenuemq; per vndam
Obuia dimittit fracturam flamina collem.
Corsica sub gelidis aquilonibus adiacet, oram
Concutit occiduam Sardoum fluctibus æquor.
Diues ager frugum est: Pœnos, Italósue petenti
Opportuna situ statio, vicina sed Afris
Plana solo pars est, mollis: quæ respicit Arcton
Immitis, scopulosa, cauis exesa fluentis,
Et ratibus quoties curuis hæc æquora sulcat,



Infamat pauidus scopulosos nauita montes.
Hinc hominum pecudumq́; lues, hinc pestifer aer
Sæuit, & exclusis regnant Aquilonibus Austri.
Hanc quondam eripuit Mauris Pisana iuuentus,
Cum populis obiter circum in sua iura redactis,
Imperium Hetruscis Afrum profligat ab oris,
Fortibus aut armis, aut se dedentibus vltrò.

MELITA. 60.

FERTILIS *est Melite, sterili vicina Cosyræ*
Insula, quam Libyci vaga verberat æquoris vnda:
Quam quondam imperio tenuit Rex *Battus, Elysæ*
Germanam hospitio profugam qui ceperat, iras
P*ygmalionæas tentantem euadere: quæ post*



In Latia multum trepidabat naufraga terra.
Cæsaris hæc Rhodio colitur nunc milite iussu,
Vindex oppressæ qui Relligionis, auitæ
Non segnis Fidei est protector, & vnicus vltor:
Qui rubræ vexilla crucis paßim erigit, atque
Signa redemptoris Mundi victricia Christi,
Vndique quàm latè patet Insula tota per vndas.
Hanc nostræ quondam Fidei infestißimus hostis
Est Solymannus atrox ausus popularier armis,
Et ferro, & flammis nequicquam inuadere; Christus
Adfuit at vindex; cùm turpia terga coactus
Tristiáque expansis fuerat dare lintea velis.

COR-

INSVLA, quæ bino circundatur vndique Ponto
Adriaco, Ionioq́, procul Corcyra per vndas
Alcinoi Phæacis opes pomaria quondam
Exeruit, biferis & lætas meßibus oras,
Phæacum aërias, & clari nominis arces,
Vnde fuit prisco Phæacia nomine dicta:
Cuius in abscessu latebrosi littoris, atque
Prælongo anfractu scopulorum, æstuq́, Profundi
Eminet ingentis fundata crepidine rupis
Vrbs prædiues opum, quondam subiecta potentum
Imperio Venetûm, clari sceptrisq́, Senatus:
Quæ mutilo Corfu nunc demum nomine dicta
Plurima sub Getico perpessa est damna Tyranno.
Nam Byzantinus prædo huc traduxerat agmen
Obsidione premens, & castra admouerat vrbi:

Iußit

Iußit & igniuomis quorum illi copia, & ingens
Tunc aderat numerus certum dispostus in orbem,
Mœnia vasta quati tormentis, donec & vrbis
Proxima, & ingentes deiecerat ignibus ædes:
Vt satis ostentant hodiernæ cuncta ruinæ.
Sed licet vrbs miserè prædonibus ipsa nefandis
Externata fuit, tamen inuiolabile robur
Præstitit Arx vicina vrbi per martia facta:
Dum validè expellunt laceris è mœnibus hostem,
Inq́ue fugam turpem verterunt castra Tyranni.

CRETA, nunc CANDIA, 62.

CENTVM *Creta potens olim fuit vrbibus, amplo*
Circuncincta mari, Iouis incunabula parui,
Primaq́ue Troianæ gentis natalia: namque
Magna Deûm mater Cretæa fertur in Ida
Exagitasse feros curru properante leones,
Cùm circum puerum pulsarent æribus æra
Dictæi, vt referunt, Curetes, ne Iouis almi
Vagitum audiret, trux & Saturnus adeptum
Perderet, & vita puerum spoliaret amata:
Hinc est in numerum quòd stant pernice chorea
Armati, & magnam matrem comitantur euntem:
Ne daret infestum matri sub pectore vulnus
Expelli metuens regno Saturnus auito.
Vini est terra ferax, Graiis Hecatompolis olim
Dicta, cui Minos legum iustißimus author
Imposuit leges, populúmque in pace regebat.
Quæ Veneto subiecta Duci, sceptrisq́ue Senatus,
Exercet latum commercia multa per Orbem
Paßim vina cadis generosa rubentibus explens:

At nunc



At nunc tres tantùm munitas mœnibus vrbes
Continet è numero tantorum, Candia primas
Obtinet, vnde manet Regioni Candia nomen.
Mendax, atque leuis gens est, mendacia falsis
Nectere docta dolis, cæde & polluta frequenti,
Turpiter & periura, ferisq́ obnoxia furtis:
Docta sed & celeres arcu torquere sagittas
Per nemora & saltus (vmbrat quæ celsa cupressus)
Exagitatq́ feras, campóque insistit aperto.
Hic crudelis amor Tauri, suppostáque furto
Pasiphaë, mistumq́ genus, prolesq́ biformis
Minotaurus erat, Veneris monumenta nefandæ
Et labor ille domus, & inextricabilis error:
Vt facunda canunt veterum mendacia Vatum.



Sacra Deo maris, & Veneri gratißima Cyprus,
Nempe quòd hæc primùm celebrarit thuris honores
Formoſæ Veneri, Neptunóque inſula, quæ nunc
Pamphiliis quaſſata vadis, Syrióque profundo
Per freta Cedriferos attollit cærula colles,
Et iuga ſpumanti latè vernantia Baccho.
Mellis arundinei, cuprique, & pinguis oliui eſt
Terra ferax, ſed gens faſtoſo dedita luxu,
Deſidias ſequitur, turpiſq; libidinis vſum,
Promptior in venerem ſcelerum fuligine ducta.
Vrbibus egregijs ornata eſt inſula tota,
Quas circum validæ defendunt mœnibus Arces.
Aſpicit occaſum Paphos, aſt Arctoa Lapethes
Frigora, ſed Salamis ortiuum Teucria Phœbum
Dum grauidis Amathus feruet ſub ſole metallis.

Hæc quondam imperio Venetûm ſubiecta potentum,
Ocia ſecura peragebat libera Pace:
Sed nunc Turcarum ſuppreſſa tyrannide, paßim
In facinus quodcunque ruit, paßimq́ cruento
Lürida nunc ſquallet luxu, mæſtóque dolore.

GRÆCIA, 64.



O P P I D A *Graiugenæ gentis celebrata per orbem*
Quàm fuerint quondam, teſtantur plurima vatum
Scripta, per annales ſerie deducta vetuſta.
Omnia ſed vertit Fati immutabilis ordo:
Abſtulit vt primùm ferro, flammáque voraci
Hellados omne decus, terræ & felicis honorem
Turcus atrox noſtræ Fidei infeſtißimus hoſtis.
Namque hæc dira lues, Geticæ fœdißima gentis

Colluuies, ſeruile genus, ditiſsima quondam
Poſtquam regna Aſiæ, Scythiæq́ inuaſit opima:
Atque per Armenias graſſata ferociter ambas,
Cappadocumq́ oras, Cilicum campeſtria, & ipſos
Inde Palæſtinos, Syrioſq́ Arabaſq́ beatos,
Phœniſſas gentes, Apamanáque rura ſubegit,
Mæoniæq́ inuaſit agros, Lydiæq́ propinqua
Arua Lycaoniæ, & Phrygiæ notiſsima quondam
Littora, nunc variis tantùm obruta terra ruinis.
Protinus Euxinum, felici ſydere & Helles
Claſſe ſecat Pontum, & prorepſit in Hellados oras,
Seruitióque premit Locros, bimaremq́ Corinthum,
Argoſq́ & Sparten, Agamemnoniaſq́ Mycenas,
Oppida Spartano quondam regnata Lycurgo:
Nec ſatis, Aemathiæ celebres penetrauit ad vrbes,
Collectaq́ manu domuit gens impia quicquid
Aegæi, Siculiq́ maris concluditur vndis.
 Inſula in Aegæo nulla vſquam eſt æquore, Turcæ
Quæ non paſſa iugum fuerit, non Cynthia Delos,
Non vaga Creta neget, centum clara vrbibus olim,
Cùm mentita Iouem proprium iactaret alumnum.
Nec verò victor temerarius abſtinet armis
Attentare ſacras Europæ & Achæidas vrbes:
Vnde illum Breuibus, tum Syrtibus aſper vterque
Boſphorus arcebat, lataq́ Propontidos vnda.
Quin etiam ipſe ſibi delegit barbarus vrbem
Conſtantine tuam, tranſlatis vndique gazis
Imperij ſedem, & caput inuiolabile Regni.
 Improbus atque ſuas extendit Turcus habenas,
Vrbibus, & latè Regnis, populiſq́ ſubactis,
Græcorum & Thracum tota regione repertis.



RVDERA *confractis tantum confusa ruinis*
Continet Illyricum, vel parua mapalia tectis
Stramineis, validis ventorum obnoxia nimbis.
Diuiditurq; duas hodierno in tempore partes,
Vt veterum affirmant sublimia scripta virorum.
Aspicit Italiæ tractus, Adriæq; tumentis
Spumantes fluctus obscura Liburnia: At ipsa
Dalmatia auriferis quondam præclara fodinis,
Nunc subiecta feris furiis prædonis Eoi,
Ostentat sacras vastatas funditus ædes,
Atque intestino prostratas marte ruinas,
Et laceros fines, quos gens colit horrida, & armis
Dedita, nec docilis vllo mansuescere cultu.
Eminus attollit celsas Pharus ardua rupes
Insula, quà variis ditissima Lysna metallis

 Prominet,

Prominet: at vexata vadis Corcyra melæna
Adriacis, spectat surgentem rupe Ragusam:
Quæ quondam, vt memorant clarorum scripta virorum,
Finitimæ reliquis Epidauri est structa ruinis,
Quà modò Sardonius sinuoso gurgite Narson
Flumineam æquoreis commiscet fluctibus vndam.

HVNGARIA, *66.*

ACCEPIT *indomitis patrium cognomen ab Hunnis*
Hungaria, alterius Regni non indiga rerum:
Terra virûm, frugumq́ potens, & pinguis oliui,
Atque racemiferæ plenißima munere vitis;
Quæ quondam Martis, Phœbíque potentis amore
Accensa, ingenuasq́ colens operosius artes,
Martia Palladijs miscere haud arma veretur;
Donec inhumani Turcæ iuga ferre coacta,
In flammam & cineres est tota furore redacta.
Incipit à Drauo, meta quà distat vtraque
Phœbus in excelsa cæli regione locàtus:
Pannoniasque ambas, fortes & Iazyges armis
Continet vndanti sabulo, quà permeat Ister
Turbidus, & ripa populos disterminat alta.
Austria ad occasum est sita, frigida Mæsia ad ortum,
Fecundatq́ suis Sauus Drauusq́ fluentis
Vicinos colles, & stagna virentia musco,
Dum teneras segetes extorret siccior aër.
Terra ferax pecorum est, rutilo fecunda metallo,
Vbertate soli, tum & dotibus vberis arui
Ante alias felix: nam gens assueta labori
Perpetuo exercet fecundas vomere glebas.
Splendida Pannonici fuerat quæ Regia regni
Buda potens, Turco fœdè subiecta Tyranno

Seruili



Seruili sua colla iugo dat libera, celsæ
Corpora tot caderent cùm ad propugnacula fossæ:
Cumq́ graues Regum statuas ex ære rigenti
Iusserat auferri Solymannus, iniquáque spargens
Funera Pannonios fœdè proiecta per agros
Adiecit Regnis vrbem sceleratus auitis:
Et ferus hic, scelerum ante alios immanior omnes
Per miseros palans Bosnæ restantis agellos,
Et reliquas vastans varijs prædonibus vrbes,
Omnia quæque metit, lacerat ferus vndique quicquid
Et Draui, & tumidis Saui concluditur vndis,
Et quicquid gelidi roratur ab amne Tibisci.

TRANS-



Altera Pannoniæ gelidam quæ respicit Arcton
Pars, Dacis vicina feris, Boreæq́ niuali,
Dacia ripensis fuit olim dicta, frequentes
Fluminis ob ripas, & Dacia Pannonis, altæ
Proxima Pannoniæ extremis quòd finibus esset:
Vtq́ vagis syluis est circumsepta, coronæ
In speciem, & variis circundata saltibus, vnde
Nomine mutato pòst Transsyluania dicta,
Nunc sua de septem mutauit nomina castris.
Montibus hanc cingit, scopulisq́ & cautibus horrens
Carpatus, atque gelu, niuibus canaq́ pruina
A propriis arcet violentos finibus hostes:
Dicitur atque inde & bello insuperabilis esse,
Vlla vel externi nunquam iuga passa Tyranni.
Terra ferax frugum, varios è cespite flores

Explicat,

Explicat, hic latebræq́, ſpecus, teretesq́, canales
Exudant aurum, ruptis ſub fornice venis,
Dum viridi tectas voluunt ſub gramine venas.
Clauſenburga ſale, atque ſimul Stolſburga redundat:
Eſtq́, auri, argentíque ferax fuluíque metalli,
Flumine cæruleo fecundans omnia Aluta.
Ipſa licet regio ſterilis ſit frigore denſo,
Et concreta gelu, niuibúſq́, oppreſſa malignis,
Attamen inſignes bello, & ceruice rigentes
Fundit equos, tendi quorum iuba fertur ad imos
Vſque pedes, nec non armatos cornibus Vros.
Affirmant patrio Regem de more creare
Teutonas, & Siculos, & toruos crine Valacchos,
Et boue defuncti exequias perſoluere Regis.

POLONIA, *68.*

CONTINET *à plana peregrina Polonia terra*
Nomen, & ingenti paßim bene culta labore
Felices lætis ſegetes producit ariſtis.
Viſtula quam mediam fecundis proluit vndis
In partéſque ſecat binas, hæc altior Axem
Spectat, & vrgentem glacialia plauſtra Booten:
Poſtnauiamq́, tenet, torpentem & frigore Gueſnam.
Illa minor, medium quà ſol candentior Orbem
Aſpicit, extendit ſub amœnis collibus arua,
Cracouiámque tenet, cuius vaga mœnia lambit
Viſtula perpetuis hic fontibus editus, olim
Magnanimus dextro quam condidit omine Gracchus,
Gracchus qui viridi corpus poſuiſſe ſepulchro
Monte ſub vmbroſo, poſt fata nouißima fertur.
Qui modò quod ſacri Benedicti continet ædem
A cultore ſuo nunc mons eſt nomen adeptus.



Terra perusta gelu est; glacie cooperta niuali;
Atque carens Baccho, culturæ vitis & expers,
Dona piæ Cereris fluuialibus incoquit vndis.
Oppida rara tenet Lituania, mellis abundans
Et ceræ est, pecorisq́; ferax, pinguísque ferinæ.
Pauperis in vici formam Samogita redacta
Parua tenet tenui gurgustia stramine tecta.

OSWICENSIS ET ZATORIENSIS DVCATVS, 69.

SALTIBVS *in mediis, nigræ prope stagna Podolzæ,*
Quà gelidos axes spectat, septemq́; triones
Vistula. sæpe gelu & concretus frigore diro,
Oswicense solum iacet, & Zatoria tellus,

Incru-



Incrustata gelu, diris & operta pruinis:
Extendítque suos fines sub mœnibus ampli
Ziuicci, rigidis vbi saxis Carpatus horrens
Rupibus alpinis vicinos terminat Hunnos.
Contigit Oswico primæuo tempore pura
Libertate frui, propriis & legibus vti,
Alteriúsue iugum nunquam sufferre Tyranni.
Nunc subiecta iugo se lamentatur iniquo,
Atque premi iniusta duri sub lege Poloni.
Liberaq; extiterat tellus Zatoria plus quàm
Quattuor exacto deductis ordine seclis:
Sed Sigismundus contra ius fasq; nefasq;
Inuasit, victisq; vrbes violenter ademit.



PRVSSIA *marte potens, rigido vicina Polone,*
Diues agris, flauæ Cereris & munere diues,
Ardua tranquillo sua curuat brachia portu,
Mœnia præcelsi circum turrita Gedani;
Quà matutinis gemmantes roribus herbas
Aurea conspergunt surgentis lumina solis;
Et modò Prußiacis descendens Vistula ab oris
Oceani sese miscet flauentibus vndis.
Hic paßim explorant quadratis retibus æquor,
Pallidáque Oceano quærunt electra sub alto
Indigenæ, cùm certat hyems, cum grandine terras
Torquet, & hybernæ contristant omnia brumæ.
Non procul hinc etiam vultu se porrigit, alto
Vrbs munita loco, petricosi in vertice montis
Consita ad vmbrosos saltus, nemorumq́; recessus,

Prin-

Principis aula olim, & totius regia regni,
Vnde vetus retinet nomen Monsregius vsque.

LIVONIA, 71.

P.LANA, *propinqua freto, nemorosa, palustris, & vndis*
Fertilis irriguis, vicina Liuonia Ruscis
Et rudibus Prußis, sterili circundata arena est
Magna parte, tamen tellus fecunda, petulco
Et facilis pecori, & patiens & vomeris vnci
Ditat sollicitos opulenta fruge colonos.
Ipse frequens herbis, & fertilis vbere campus
Spicatam segetem, & grauidas producit aristas,
Et geniale solum pomis agrestibus implet:
Sedula dum verno flores apis ingerit alueo,
Melláque distillans, & pingues vnguine ceras.

Continet Estones patria intra limina, Lettos
Moribus & lingua diuersos, atque Curones,
Quos penes est regni moderandi summa potestas,
Ad placidos Reuelæ portus, & mœnia Riuæ
Aequora vbi Oceano se immiscent Balthica ponto.

SEPTENTRIONALES REGIONES, 72.



TERRA *Lycaonij plaustro vicina Bootæ:*
In varios diuisa sinus maris impete vasto
Continet infrenes Suedósq; Gothósq;, Latinam
Inuertêre olim collecto qui agmine gentem,
Cùm furor Ausoniam quateret temerarius oram
Vandalicisq; Gothísque simul prædonibus ortus:
Qui populum longa tum libertate quietum
Turbauit, Románque suis exhauserat altam

Viribus,

Viribus, vnde etiam ſtudiorum, & Pallados omnis,
Et caſtigatæ omnis honor, tum gloria linguæ
Concidit, ex illo multum rubiginis atræ,
Squalloriſq; ſcabri contraxit ſermo latinus.
Vaſta quidem tellus, & duris cautibus horrens
Eſt ætate tria hac diuiſa in regna, potenti
Subdita Danorum Regi, Suedoq; ſuperbo:
Qui ſeruile iugum miſero impoſuere popello,
Regnorúmque trium ſoli moderantur habenas.

RVSCIA, AVT POTIVS MAGNI DVCIS MOSCOVIÆ IMPERIVM, 73.



MOSCOVI *Ducis Imperium diſterminat ortu*
Tartarus, at Turcus medio eſt ſub ſole redactus,

Liuon

Liuon ad occasum, ad septem glaciale triones
Aequor, & vndiuagis bene notus Granuicus Anglis,
Granuicus & sinus, & statio fidißima nautis.
Mosca dedit toti regioni nomen, & Vrbi,
Amnibus innumeris quòd per vicina virecta
Delapsus validæ vaga mœnia proluat vrbis.
Terra ferax pecoris, cereris, & mellis abundans:
Fruticis at Bacchi, tum Palladis arboris expers,
Incoquit irriguo mellis cum fonte liquorem.
Gens fallax, astuta, genus seruile, paterna
Nescia libertate frui, sed vilia tanquam
Mancipia, ad Domini nutum seruire coacta,
Et graue supplicium tolerant, durosq́; labores.

TARTARIA SIVE MAGNI CHAMI IMPERIVM, 74.

QVICQVID *ab Oceano Quincino, & littore Mangi*
Ad Boreæ gelidos, septem finesq́; trionum
Terrarum est positum, rapidi extra flumina Gangis,
Per iuga Caucasei montis, atque horrida Imaui
Saxa, gelu concreta, ferisq́; obducta pruinis.
Hoc modò poßideat Princeps quod Tartarus omne,
Tartaria à vulgo truncata voce vocatur;
Gens tantum prædæ diræq́; assueta rapinæ:
Quæ paßim in varias diuisa sine ordine turmas,
Quas vocitant Hordas patriæ sermone loquelæ
Inuia nunc paßim viuit per compita rapto,



Nescia frena pati, fixísque penatibus vsquam
Deligere extructas generi certo ordine sedes:
Sed tantum incultis magalia figere syluis
Contenta, atque larem externos vectare per agros.

INDIA, 75.

SOLIS *ab occasu, pharetratæ ad Persidos oram,*
Clauditur aurifero sub gurgite fluminis Indi
India diues opum, noménque à flumine sumpsit.
Gemmarúmque aurique potens, & meßis odoræ,
Diuitiis opulenta, fero sub torrida Cancro est.
Cuius aquas auget monstris fabulosus Hydaspes,
Et socio sese coniungit flumine, donec



Ad mare gemmiferum circundet flumine Delta.
Pulcher ad Eoos Ganges deuoluitur ortus,
Inq; duas totam regionem diuidit oras.
Circulus æquator ſparſas toto æquore terras
Contegit innumeras, vbi ſydera clara Canopi
Fulgere inuenies, oculis incognita noſtris:
Quas modò barbaricis vix notas vocibus, ampla
Rex ditione premit Luſitanus, & omnia diues
Mercibus alternis conchylia gemmea mutat.
Hic Adamas paßim viridi reperitur in vlua,
Auratique fluunt amnes, gemmiſq; relucet
Pontus, odoratæ ſpirant medicamina ſyluæ:
Quæ generant calamos ſudantes roſcida mella,
Vnde bibunt tenera dulces ab arundine ſuccos
Indigenæ, & croceo crines medicamine tingunt.

Non

Non procul hinc variæ diffuſa per æquora terræ
Torquentur varÿs vndarum anfractibus, vndè
Præuius Auroræ rediens Cythereïus Heros
Lucifer extollit ſurgentia lumina Solis:
Has pater Oceanus magnis anfractibus ambit,
Solis ab Eoo ſurgentis lumine ſumens
Nomina, quas variis gemmis variiſq; lapillis
Ditat, & innumeris concharum mercibus, vnde
Cinnama, & in noſtros veniunt exotica fines
Multa, peregrinos hominum pellentia morbos.

PERSIA, 76.



PERSIA *diues opum, gaziſq; opulenta ſuperbis,*
Vndique Cedriferis circundata montibus, olim
Sæcula diuitiis luxuq; euertit inerti:

Nam perhibent Genti ſplendentibus aurea quondam
Arma fuiſſe, pedéſque auro gemmiſq́ rigentes,
Cornipedéſque olim auratis frenaſſe lupatis.
Quæ vicina freto, quà littora Perſica pulſat,
Et quà ſe exonerat rapido cum Tigride magnus
Euphrates, laceram adiuncto Babylona pererrans
Flumine, vicinas Arabum diſterminat oras:
Occiduum quorum ſpectat latus: Indus ad ortum
In freta prociduo delabitur Indica lapſu.
Barbarus at Scythicis Iaxartes lapſus ab oris
In freta dum properat violento Caſpia fluxu,
Claudit Hyperboream regionis montibus oram.
Ipſáque feruenti freta Perſica ſubdita Cancro
Gemmifero ditant auſtralem littore partem.
Poßidet hæc nunc cuncta Sophus, qui Perſidos oræ
Præſidet, & rerum moderamina ſumma retractat:
Quique ſacros ficta ſub relligione Deorum
Mentitus cultus quondam, faſtoſq́, nefaſtoſq́
Edidit, Idoli reſerans penetralia falſi.
Splendida Perſepolis totius Regia regni
Diuitibus gemmis, fuluoq́ ſuperbiit auro;
Dum ſtabat regnum incolume: at Mauortia poſtquam
Pellæi iuuenis totum bacchata per orbem
Inuaſit miſeri tempeſtas regna Darij,
Funditus interiit veſano marte ſubacta.
Nunc varias merces quas vndique Perſia diues
Colligit vndoſi per torrida littora Ponti,
Exponit venum cunctis venientibus Ormus:
Ormus gemmiferis circundata fluctibus, ingens
Inſula, metropolis totius maxima regni.



BARBARA *gens quondam, crudelis, & aspera bello*
Caucaseis exorta iugis, Scythicisq́ pruinis;
Quà gelidis Tanaim Boreas, & Bosphoron auris
Cimmerium, & niuibus Mæotidas asperat vndas,
Turmatim pretio conducti militis instar
Sub Muchumetio Saraceno Principe fertur
Annua principio meruisse stipendia, & omnem
Aßiduis miserè vitam exegisse sub armis.
Huius enim auxilio, promptóque iuuamine gentis
Barbarus Assyriam, & tumidam Babylona subegit.
Atque coloratus post hæc submiserat Indus
Colla superba iugo illius, viciniáque circum
Terra exusta Arabum: verùm temerarius idem
Vt semel atque iterum nimis infeliciter vsus
Aduersa belli fortuna, & marte sinistro,

Succubuit proprijs, sic sors tulit, hostibus, vltro
Fœdere mox rupto, atque orto per castra tumultu,
Ductorem ipsa suum, & Dominum nil tale verentem,
Inter funestæ non prospera prælia pugnæ
Inuadit, miserumq́ inopina morte trucidat.
Inde aliis, aliisq́ nouis sub Regibus ære
Exiguo, at belli vario discrimine Martem
Perpetuò parti victrici exercuit hærens,
Gens tantum prædæ, diræq́ assueta rapinæ,
Quæ post in plures diuisa sine ordine turmas
Viuebat paßim rapto, & sub nomine belli,
Velabat diras magna feritate rapinas:
Et procul à tergo patria tellure relicta
Impia colluuies arctoæ gentis, amœna
Arua Palæstinæ, Solymasque inuaserat ipsas;
Iam Duce freta nouo Solymanno, corpore vastum
Vincere qui visus Polyphemum, quíque vetusta
Se quondam veterum Teucrorum ab origine natum
Priamidúmq́ satum regali à stirpe ferebat
Hic velut indomiti Mauortis concitus œstro,
Aßiduo tristis belli flagrabat amore.
Donec inextincti Christi pro nomine, certam
Vel mortem cupiens animo flagrante pacisci,
Compare Godfredus cum fratre Bilonius heros
Deligitur fidei protector, & vnicus idem
Vindex oppressæ tum relligionis, & omnis
Patratæ in socios aliosq́ Tyrannidis vltor.
Qui tandem instructus magnis legionibus, atque
Totius Europæ collectis viribus, hosti
Obuius ire parat, superátque per ardua longè
Argolicos fines, Macedumq́ per arua tetendit
Aequor ad Aemathium, geminis quod faucibus arctant
Angustis rapidi confinia littora Ponti.

Vtq́; procellosas Ductor traiecerat vndas,
Atque optata citæ tetigerunt littora classes:
Mox lecto cinctus Solymannus milite contra
Agmina disponit, faucésque aditusq́; petitos
Præcludens, promptus pateat ne transitus hosti,
Obsedit Phrygios numeroso milite campos,
Impatiens Asiæ consistere finibus agmen.
Sed nihil instantem poterat turbare furorem,
Vimq́; animumq́; Ducum, qui relligionis amore
Haud dubiam in mortem sese obiectare parati,
Indomitum toto spirabant pectore Martem.
Et iam tempus erat, cùm protinus impete toto
Hinc atque hinc armatæ acies concurrere certæ
Exiguis inter sese paribusq́; diremptæ
Distabant spatiis, & Dux progressus vterque,
Hinc Mahometæus Solymannus in agmine primus
Voce suas verbísque fremens immane cohortes
Vltro Europæum audenter contendere in hostem
Hortatur, rapidaq́; ruens per iniqua procella
Inuadit, totisq́; ferox legionibus instans
Cunctantes veluti proritet, & aduocet hostes.
Parte alia armipotens lectos in bella maniplos
Componens Ductor, dextrum hos defendere cornu
Mandat, & hos aciem statim fulcire sinistram.
In medio ipse quidem partitis ordine signis
Singula componit vigilans, totísque vagatus
Agminibus mentes acuit, bellíque furorem
Suggerit, & stimulos crebris hortatibus addit:
Donec cuncta satis circum explorata, suísque
Præsidiis firmata videt; tum protinus acri
Signiferis instare suis hortamine, & omnes
Ingruere, aduersum seseq́; immittere in agmen
Imperat vnanimes. Mox hic violenter vtrinque

Inter se toto concurrunt impete turmæ
Oppositæ, parilíq́ ineunt discrimine pugnam:
Vndique & armorum conflictu personat æther,
Militibusq́ suis monitu Dux instat vterque
Sollicitus, totoq́ furit vis Martia campo.
At tandem vnanimis vibrati fulminis instar
Europæa phalanx medium prorumpit in agmen
Turcarum, ingentémque ruens conamine toto
Dat stragem. Hic grauiter labefactus viribus hostis,
Turbatusq́ loco iam tandem cedere læuo
Cœperat in cornu, Scythicusq́ exercitus omnis
Terga dare, & sensim sese subducere pugnæ.
Quæ postquam medio Solymannus ab agmine sensit,
Nec se posse videt versis succurrere rebus,
Multum immane fremens, atque implacabilis ira,
Accitáque manu, semper quæ fida potenti
Hærebat lateri, sociam seq́ omnibus vltro
Addiderat, quamuis premerent aduersa periclis,
Per medias acies ruit, & per tela per enses,
Inuaditq́ hostile latus, quà plurimus hostis
Ingruit, infestúsque premit, consertáque pugna est:
Multa vbi cæde virûm rabiem consumit acerbam,
Versatúsque diu tanto in discrimine vitæ,
Atque fatigatus longo certamine, tandem
Inter anhelantes peditúmque equitúmque cateruas,
Pectore in aduerso concepto vulnere pugnans
Corruit, & vitam cum sanguine sparsit in auras.
Protinus inuasit reliquos formidine terror
Vnius occasu, sic & conuersa repente
Spes omnis, retróque pedem victoria flexit.
Vtq́ procul Scythiciq́ duces, & Turcica pubes
Conspexere graui multatum morte Tyrannum,
Diffugêre citi, rapidóque per auia cursu

Ductores

Ductores reliqui Solymanni castra secuti
Desertis castris tutos petiere receptus:
Et quacumque armis regione cuique potiri
Ductori Scythicis secretò rursus in oris
Extremísue Asiæ desertæ in finibus vsquam
Contigit, Imperium inuadit, partumq́ tenebat.
Præcipuiq́ Duces legionum quattuor, vsu
Armorum ante alios spectati, & fortibus ausis
Inuasere noui decora & moderamina Regni:
Inq́ locum extincti Solymanni, quisque coronam
Regalem Imperij, rerumq́ capeßit habenas.
At glomerata cohors, & bellò lecta iuuentus
Approbat audentes, fremitúque & voce secuta
Quisque Ducem proprij legit agminis, atque Tyrannum:
Sicq́ inter sese concordi fœdere primùm
Pluribus annorum spatiis à cæde relicti,
Imperij iunxere fidem dextrásque dedere
Inuiolabiliter Regni in commune parandi.
Sed Fortuna pares inter se prospera sceptri
Haud dudum admittit, tutò nec pluribus vnum
Et commune diu Regnum committitur vnquam.
Vnde repentino discordia prælia motu
Surgere, & aucta prius crebris variisq́ rapinis
Regna suis pereunt inter se viribus. Et tum
Sustulit hanc pacem, & ditionis primus adeptæ
Imperiiq́ sui fines proferre parauit
Obscuro Zychides Othomannus sanguine natus.
Namque vbi iam partis bello haud contentus habenis,
Iura, fidémque datam, contractáque fœdera soluit,
Protinus insolitam requiémque morámque perosus,
Dira suis primùm popularibus intulit arma,
Et socios victor noctuq́ diuq́ lacessens
Nunc Assembeccos, Caramannos, Candelorósque,

X Et quot-

Et quotquot Scythicis egreßi finibus olim
Prælia moturi secum in commune rapinas
Exercere solent, sociali fœdere rupto
Strenuus aggreditur, Regnis deturbat, & vnus
Sauromatas, Hunnos, Moschos, Zygiósque, Getásque
Et varias gentes, variasq́ coërcuit vrbes:
Inq́ suas leges, ditionémque, omne reduxit
Imperium, & vastas Scythiæ regionis habenas.
Sicq́ domi dudum bene gestis rebus, adeptus
Imperium Zychides, belli succeßibus amplis
Fretus, & affectans infræni pectore martem,
Iam proferre foras decreuerat arma, minoris
Regna Asiæ inuadens, primùm est inuectus in oras
Cappadocum, victor Bithyniaq́ arua subegit:
Deinde Lycaoniæ, & Pisidûm campestria rura,
Lataq́ Paphlagonum, Pamphyliaq́ arua, propinquæ
Hinc Lyciæ, Ioniæq́ sinus, Phrygiæq́ pererrans,
Quæ maris Euxini, quæ Aegeïa littora cingunt
Oppida, & innumeras gentes, populósque potentes,
Gallatiamq́ suam patriam, Pontumq́ lacessens
Marte, nouos meruit magna cum laude triumphos.
Primus & auspiciis latè felicibus auxit
Turcarum Imperium, & regni primordia sanxit:
Primus & hæredi Imperium regale reliquit
Ipse suo, postquam septennia quattuor, æstus
Aßiduos inter bellorum & castra peregit.
Extincto Orchanes succedens iure parenti
Filius, extemplò patrias constanter habenas
Excepit, nec eo belli virtute, vel armis
Inferior, iam tum primæuo in flore iuuentæ:
Verùm aliis longè potioribus artibus auxit
Imperium, adiunctis Cilicum campestribus aruis.
Vnde thori sociam, thalamiq́ ignobilis ipse

Vxorem

Vxorem asciuit, vix iam lanugine malas
Obsitus, at procerum sibi conciliare fauorem
Sedulus officiis, nec inexorabilis hosti:
Nam quos antè pater sumptis commouerat armis,
Atque lacessitos magnis terroribus omnes
Implerat, cædes, rerumq́ extrema minatus,
Ipse bonus, cunctis facilis, morumq́ benignus
Optatæ hos pacis perquirere fœdera, & illos
Sponte sua Imperio submittere colla coëgit.
Sed tandem in populum moturus bella rebellem,
Cingere dum validis munitam mœnibus vrbem
Obsidione suas iubet omni ex parte cateruas,
Antiquam Regum sedem, cui barbara turba
Pro Prussa de more recens pòst Bursia nomen
Indidit, externæ quamque inuasere Phalanges,
Rex ipse in medio feruentis turbine belli
Dum victis stricto ense minax insultat, ouánsque
(Vndique nam victor properans exercitus vrbi
Excisæ irrupit patulis denso agmine portis)
Saucius ingenti turbauit gaudia luctu;
Illiúsque leui perstrictum est vulnere corpus
Fatali telo, aut medicatæ cuspidis ictu.
Sic Scythiæ ingentis, duplices Asiæq́ per oras,
Quattuor imperitans lustris adiecerat annos
Pænè duos, moriensq́ optatas deserit auras.
Tertius ergo patri Imperio delectus auito
Sæuus Amurrhates successit filius hæres;
Torua cui facies, cuíque hispida barba supremo
Dependens labro, atque oculi sub fronte minaces,
Mensq́ armata dolis exangui in corpore, crebris
Vnde etiam inualidus morbis membra ægra trahebat.
Attamen Imperij cupidus, semperq́ molesta
Ambitione velut furiali concitus æstro

Vicinas gentes ſpaciis agitabat iniquis,
Tentabatq́; ſuos regni protendere fines
Per fas perq́; nefas: cœptis nec denique rebus
Defuit huic vnquam fautrix fortuna, repente
Vnde peropportuna illi eſt occaſio capta,
Tempore Cæſaribus geminis quo maxima regni
Conſtantinopolitanis diſcordia fœdè
Inceßit, quos tum ſtimulante cupidine cæcos
Imperij veſanus amor torquebat eoi.
Nam primùm vt procerum diſcordia pectora ſenſit,
Et populi in bellum commotas vergere mentes,
Protinus adiecit mentemq́; animumq́; parandam
Ditis ad Europæ partem, & confinia regni:
Ac veluti preßi miro candore futurus
Imperij vindex, & amici Cæſaris vltor,
Cautus in Aemathiam roſtratis claßibus amplam
Contendit, validis tunc inſtructißimus armis:
Et poſtquam adueniens cautus perſenſerat illic
Omnia inexpletis odiis ardere, nouiſq́;
Dißidiis acies conſurgere in arma cruentas
Coniuratorum; neutri ſuccurrere parti
Approperat, ſed vela legit, viréſque reſarcit
Deterſo ſquallore maris, ſparſoſq́; maniplos
Colligit in numerum, bellóque retractat ineptos,
Exhauſtos donec bellis furialibus ambos
Milite laſſato, & defectis viribus omnes
Opprimat alterna certatim cæde madentes.
Atque vbi viſa ſatis res opportuna, cruentum
Emicat in martem, nulloq́; obſtante cohortes
Ingentes ſub ſigna vocans in prœlia cogit;
Et falſo Imperij prætextu vindicis, ambos
Aggreditur paßim populos, paßim oppida, & omnes
Mœnibus exciſis inuadit, & occupat vrbes.

Hinc quoque finitimas terrere tumultibus oras
Cœpit, & hostili populari cuncta furore,
Solus vt Imperio tandem potiretur eoo.
Sed tandem cupidi patriæ succurrere pressæ
Christicolûm clarique Duces, Regnique potentes,
Quos metus aut ingens, aut palmæ gloria tangit,
Illius instituunt obsistere fortiter ausis,
Atque parant iuuenum rursum agmina, & vndique lectas
Instaurare acies, campoq́; inducere aperto.
Queîs primùm adiunxit populos, quos Seruia misit
Audaces animi, Sauo, Drauóque fluentis
Inclusos, nitidis Dux Lazarus acer in armis:
Nec minus armipotens multis cum millibus illi
Bulgariæ Dominus se Craiouichius offert:
Nec belli hisce nouis se subduxere periclis
Dalmatiæ indigenæ, Transyluaníque coloni,
Et quos diues alit vastis Albania campis,
Bysaltæq́; truces, Rusci, Rasciq́; feroces,
Militiaq́; alij Proceres, hic quotquot auita
Vicinas circum sedes ditione tenebant.
Qui pariter iunctis opibusq́;, & viribus omnes,
Communem propriis propellere finibus hostem,
Vel saltem veteri pro libertate, sociisq́;,
Pro patria, atque aris manifestæ occumbere morti
Ex æquo vnanimes huc conuenere parati.
At simul in pugnam constanter vtrinque cohortes
Concurrêre pares propriis castrisq́; relictis
Hinc atque hinc iniere acies. mox barbarus hostis
Prorsus in aduersos violenti fulminis instar
Edidit horrendam multo cum sanguine stragem,
Atque Europæos miseranda cæde fatigat,
Et stupidas duro contundit marte cateruas
Christicolûm, accumulans ingentes cædis aceruos.

Despota sed iuuenum quem fida cateruа valentum
Stiparat, quos armipotens huc Seruia belli
Subsidio misit, læuo cum sydere sensit,
Molirique suos auerso numine pugnam:
Prodigus ipse animæ, atque ruens per tela per enses,
Quà grauis, & multò densißimus ingruit hostis,
Cominus audaci miscet fera prælia dextra,
Hostilique suam prius vltus sanguine mortem,
Pectore in aduerso concepto vulnere, tandem
Fortiter occubuit: qua accepta clade repentè
Christicolûm trepidare, suæ diffidere parti
Occipiunt, fractisque animis languere cohortes.
At contrà à tergo mox Turca pauentibus instat,
Ingentémque edit perculsa per agmina cladem,
Horribilémque necem. vix Craiouichius vnus
Cædibus elapsus sospes in tuta recesit.
Dum tamen ipse nimis prostrata per agmina fausto
Marte tumens animos tollit, victórque secundo
Successu exultat, spoliisque insultat ademptis:
Non tulit hoc lateri famulus fidißimus olim
Despotæ, & ingenti quem tum sub pectore multus
Laudis amor, clarique sui generosa cupido
Nominis extimularat, herique miserrima cædes
Iampridem occisi miserè irritarat inulta.
Ergo his accensus vindictam corde volutat,
Fatiferúmque manu celeri clam corripit ensem,
Dißimulátque iram, sed capto tempore, stricto
Quà patuit ferro, geminato vulnere pectus
Haurit inhumanum, penitusq́ sub ima recondit
Viscera pæne tenus capulo imperterritus ensem.
Sic Domini vindex. quo vulnere protinus altùm
Ingemit, & vitam cum sanguine ructat in auras:
Postquam Turcarum sæuas moderatus habenas

Quattuor adiecta trieteride lustra peregit.
Inde patri subeunt merita iam cæde perempto
Non multùm, gemini nati feritate dolisq;
Dißimiles: Quorum alter aperta per æquora classe
Approperans, Asiæ quamprimùm inuasit habenas,
Huic Solymannus erat cæsi de nomine nomen.
Maior at alter eo natu, & maturior æuo;
Quem Baiazetem cunabula prima vocabant,
Cis maris Aegei, vastæq; Propontidos oras,
Atque Hellespontum partas bello occupat vrbes.
Ergo dum Regni consortem iure paterni
Ferre nequit fratrem, sed solus vt arbiter esset
Imperij, solus rerumq; teneret habenas:
Ignarum fraudis, nec quicquam tale verentem
Paulatim vafro iuuenem circumuenit astu,
(Prò scelus, atque nefas) & acerbo funere mactat.
Hísque sua officiis regni primordia sancit.
Hinc Baiazetis stygij aspera corda repentè
Vindictæ exagitat grauiter furor, atque paternam
Vlcisci ardescit hostili sanguine cædem.
Ergo sua extemplò tota ditione coactis
Militibus, fidens animi, imperterritus, atque
Bulgariæ Dominum furialibus impetit ausis;
Et grauiter pauidum, nec opino marte laceßit.
Non Sauus, Drauusq;, nec aspera Scardia saxis,
Orbælusq; minax petris in bella ruentem,
Non prætentæ arces, nec propugnacla retardant.
Quà ruit exitium certum omnibus, vrbibus vnum
Imminet excidium ferro, flamma, igne corusco:
Donec inexpletam rabiem, scythicumq; furorem,
Atque sitim oppresso penitus consumat in hoste,
Et Craiouichium crudeli cæde trucidet.
Inde gradu properante ruens, regni illius, eheu,

Proximaquæque rapit victor ferus oppida, & arces
Quà iacet Ionio vicina Albania Ponto,
Et Borea aßiduò Romania adusta niuali:
Dalmaticasq; replet veris terroribus vrbes.
Inde refert Auarum victricia signa per agros,
Pérque feros Dacos, quos Transyluania nutrit:
Quáque iter intentat ferro, flammisq;, colonos
Agmina certatim inuadunt hostilia, & illam
Persensere luem, Stygij rabiemq; Tyranni
Qui Bosnam, Hungariámque colunt, qui regna Liburnum
Et populi quotquot septemfluus alluit Ister.
Sic vbi iam victor retulit fuso hoste triumphum,
Mox animum adiecit Byzanti ad mœnia, & altam
Constantini arcem, quam demum ex omnibus vnam
Thracia quas circùm, quas Græcia sustinet vrbes,
Prorsus inaccessam, ex pacto intactamq; reliquit,
Et grauium expertem siuit belli esse malorum.
Vtq; in conspectu Byzanti aduersa repente
Castra locare, graui dein cingere mœnia circùm
Obsidione iubet, sparsosq; euertere muros,
Præparat atque ferus sic res, & regna proteruè
Atterere, & miseris miscere incendia villis
Turca pharetratus: Vigiles commouerat aures
Nuncia fama ferens, lectis vt Tartarus armis
Cœpit in Armenios infesto milite fines
Irruere, & toti ferro flammisq; minari
Excidium populo, vastatisq; omnibus agris
Desolata metu Turcarum inuadere regna,
Et tantæ pesti, ni robore militis omni
Hinc properè occurrat, terrísque auertere perstet
Ipse suis vindex, fatalia damna, repentè
Vrbibus, & regnis summas instare ruinas.
Quo rumore graui subito perculsus, ab vrbe

Castra mouet, magno peregrinas agmine turmas
Propulsare parans, & viribus ilico totis
Percupidus tantam regni depellere cladem,
Mœnia Byzanti dura obsidione repente
Liberat, ingentíque armorum classe per æquor
Traducta, extemplò patriis se reddidit oris
Natoliæ, aduersis præceps concurrere signis
Hostibus indomitis: sed vbi ad certamina ventum est,
Militibúsque suis permissa licentia pugnæ,
Protinus, ah demens numero congressus iniquo
Funditur. Atque suo dux primus in agmine toto
Hic Baiatzetes vinctis post terga catenis
Captiuus rapitur, Scythicas defertur ad oras:
Vilia vbi tandem est, ac fœda subire coactus
Seruitia, & proiectus humi summittere sese
Scandere equum, biiuges ad iter currusq; paranti
Sæpe Tamerlano, siue inter pocula diræ
Contemptim illius sese substernere mensæ,
Inq; canis morem ieiunis faucibus ossa
Frustaq; humi legere, ac proiectas carpere micas.
Atque etiam tanto (quis credat singula?) Regi
Texitur in formam caueæ certo ordine crates
Ferrea, qua clausúmque, & vinctum colla catenis
Semper agat secum, ductetq; per oppida victor.
Sicq; catenatus ferri inter texta molestis
Consumptus curis, longisq; doloribus, æuum
Quicquid erat vitæ reliquum traduxit, & illic
Sic tandem Solymanne tua pro cæde vicissim
Supplicia expendit, dignásque in carcere pœnas.
Denique ab arrepto patrij moderamine regni
Cœpta sub extremi & sexti primordia lustri,
Cesserat è viuis optato fine quiescens.
Dum Baiatzetes bello congressus iniquo

Cum Duce Parthorum sic infeliciter ipsam
Rem gerit, ancipiti sese discrimine pugnæ
Subduxere, sibiq; hinc pignora quattuor acri
Consuluere fuga, quorum tres numine Diuûm
Sic moderante hominum casus, venturáque fata,
In medios hostes, inimicaq; castra Pelasgûm,
Queîs Byzantinos fines custode tueri
Tum cecidit sorti, tum portus inter & arctum
Hellespontiacæ traiectum nauibus oræ
Inciderant, vigili cura quos Cæsar alendos
Commisit, donec paulum crescentibus annis
Sanguine nostrorum potuere rependere vitæ
Seruatæ pretium: quod tandem egere rapinis
Turpibus, inuisa dum cuncta Tyrannide complent.
Sed ductu, ac fatis longè melioribus vsus
Ipse Cyriscebeles, fratrum qui maximus æuo,
Diuersum per iter, nulla stipante caterua,
Tandem Andrinopolim Turcis quæ regia sedes
Imperiiq; caput tum temporis, æquore cæcas
Per tenebras noctis traiecto, ignotus amictu
Mutato peruenit, vbi iuuenilibus omnes
Exegit studiis annos, curaq; fideli
Nutritus, donec dextro tandem omine Diuûm,
Spes firmata domus, rerum potuitq; potiri.
Non potuit lapsas tamen instaurare ruinas,
Nec regni læsis iuuenis succurrere rebus:
Ante diem, & primis illum quòd fata sub annis
Præmatura prius dextra rapuere potenti.
Cœperat hinc patrias Orchanes natus habenas
Vnicus, in regnum successor solus & hæres:
Qui puer atque breuis sortitus tempora vitæ,
Spumea Threïcij prope flumina dicitur Hæbri
A patruo dulci priuatus luminis aura.

Non

Non obtenta manu stabilis vis vlla reperta est
Sceptrorum, nec sæua diu, si viuere Diuos
Credimus, aut curare Iouem mortalia quicquam,
Libertas scelerum crudelia regna tuetur.
Nam quæ dispensant mortalia fata sorores
Iniecere auidas homicidæ in stamina dextras.
Fratribus è medio sublatis inde duobus
Arripit Imperium tandem Mahometus auitum;
Et primùm Valachis natis ad prœlia bellum
Indixit, miserosq; fero certamine fudit:
Atque per Aemathios collecto milite campos
Grassatus, miseros lacerauit marte colonos,
Omnia crudeli ferro populatus, & igne,
Donec in Ionio victricia littore signa
Exertans, oras Macedûm, & contermina terræ
Omnia Thessaliæ lata ditione teneret.
Nec satur his, sua signa mouens volitantia Saui
Improbus ad ripas, cædum inflammatus amore
Pascua Bulgariæ, tum Rascica fortibus armis
Dilacerat, miseros Bosnæq; comantis agellos.
Progressúsque Asiæ sua castra locauit in oras:
Quæq; prius patri interceperat oppida sæuus
Tartarus Imperio subiecit, & æquor onustum
Puppibus Euxinum tunc rursum Turcica sensit
Carbasa, & antiquum spirantem bella Latronem:
Vicinamq; statim Nicæam tendit ad vrbem,
Clarus vbi Antigonus validam firmauerat arcem,
Atque vrbi proprio primùm de nomine nomen
Indiderat, belli variis sed casibus hausta
Fortunæq; vices varias experta; frequenter
Mutauit dominum veteri cum nomine priscum.
Bis septem Imperij gestarat sceptra per annos,
Nigra paludosi petiit dum regna Barathri.

Interea hoc fatis sublato sceptra Tyranno
Cepit Amurrhates, quo non immanior alter,
Tristius aut illo monstrum, nec sæuior vlla
Pestis, & ira Deûm Stygiis sese extulit vndis;
Namq; hic dum patrium dextra tutrice receptat
Imperium, & regni moderamina summa paterni:
Protinus instituit pontum Nepheleidos Helles
Traiicere, & validis proscindere claßibus æquor:
Namque sibi Graias Mustapha asciuerat oras,
Vt Baiatzeti quartus qui filius esset
Et patruus iuuenis iam sceptra paterna tenentis.
Improbus at rerum affectans moderamina solus,
Impatiens consortis Amurrhates, ferus ira,
Torua cui accensæ vrebant præcordia flammæ;
Vt primùm in tutum direxit lintea portum,
Protinus extendit, deducit & ordine turmas,
Prorumpitq; fero cuneos certamine, & ipsum
Per medias acies Patruum, per tela per hostes
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit
Improbus, & fulua moribundum extendit arena:
Atque furore graui exagitatus victor, & ira,
Quòd consternato, rerúmque extrema pauenti
Auxilium fuerint ausi submittere quondam,
Atque laboranti patruo succurrere Achiui;
Protinus innumeris cum castris oppida adortus,
Omnia dilacerat, pulchras & Achaidas vrbes,
Et quæcunque iacent Macedûm dispersa per oras.
Hincq; Corinthiacis superatis faucibus, Argos,
Seruitioq; premit Locros, ditésque Mycænas,
AEtoliaq; vagos incendia dira per agros.
Et breuis Epiri loca per campestria iactans;
Quicquid & Aegæi, Siculi & concluditur vndis
Ferro, atque igne, fero & populatus cuncta furore est.

Inde thori sociam Christi baptismate tinctam
Principis ascìscit, paret cui Seruia, natam:
Et fratri exactis, vt fama, virilibus, orta est,
(Nequid adhuc superesse queat de stemmate prisco,
Aut post in serum posset succrescere tempus)
Eripuit misero præsentis luminis vsum.
Post hæc sacrilegis Belgradum cinxerat armis
Improbus, & positis castris sub mœnibus vrbis
Iusserat excidio ferrum flammasq́ parari.
Viribus at subitò nostrorum fusus & armis,
Demißisq́ aliquot prædonum ad Tartara nigra
Millibus, à primis sibi conscius illico cœptis
Destitit, atque pedem profugum subduxit ab Vrbe
Tristis, ab incœpto pugnæ feruore quiescens:
Obsidione graui dum mœnia cinxerat vrbis
Menstrua per septem redeuntis cornua Lunæ.
Hinc Adrianopolim conceßit, & otia bello
Prætulit, & nato Imperij moderamen Eoi
Liquit, & ætherea priuatus luminis aura
Regna paludosi petijt læthæa Barathri:
Imperij attrectans moderamina Turcica postquam
Bis ternis lustris binos adiecerat annos.
Efferus at fratris Mahometes cæde tepebat
Parricida sui, terrore metúque replebat
Cuncta fero, & seruile iugum Primatibus ipsis
Incutiens, magnos auri collegit aceruos:
Et primùm lecto circundans milite Croiam
Scanderbæge tuam, miseras populatur Athenas.
Imperijq́ caput truculentus ademit Eoum
Christicolis, sæuis dum Byzantina cateruis
Mœnia dilacerat, laceramq́ irrupit in vrbem.
Otius hinc Græcam tumidus conceßit ad Albam,
Turcicáque Hungaricos extollit signa per agros:

Dumq́; iubet laceros turmas transcendere muros
Victor, & ipse ruens per tela iniecta, per enses,
Et victis stricto ense minax insultat: acerbo
Percussus telo, mutauit gaudia luctu,
Namque gemens labente genu procumbit vtroque
Subiectam in terram, tenebris ad lumina obortis.
At fidi comites sublatum è puluere tandem
Ex acie in cuneos, atque in loca tuta tulerunt.
Hinc metus inuasit reliquos formidine turpi,
Atque intempestæ per muta silentia noctis
Obsidione leuant vrbem, sine laude relinquunt
Hungaricos fines, ripasq́; binominis Istri.
Non prius obscenus proiecta cadauera vultur,
Torua leæna lupum, teneram lupus improbus agnam
Linquit, & accipiter timidas vrgere columbas,
Quàm rapidum saturent imbellia viscera ventrem.
Nam postquam accepto rediere ab vulnere vires,
Creuit & inuisum virus cum viribus vnà,
Attollens oculos vesani dæmonis instar,
Pectora nunc fœdat pugnis, nunc vnguibus ora:
Torqueturq́; animo, mediisq́; in fellibus ardet,
Multa animo memorans, multa alta mente reponens:
Et subitò æquoream qua transuehat agmina classem
Instruit, ardenti Lemno, & vi littore Lesbi,
Et Mytilenæis potitur furibundus arenis:
Classibus Euboici caua littora Chalcidos implet,
Auspiciisq́; suis fuit expugnata Trapezus.
Agmina marte suo post hæc Memphitica fudit,
Deuictosq́; Syros iuga ferre superba coëgit.
Hinc ferus Italiam veris terroribus implet,
Classibus indomitis dum mœnia vertit Hydrunti:
Sed Rhodus infesti scelus exitiale Tyranni
Passa, fugæ infandas iussit dare terga cohortes:

Tartareas

Tartareas adiit sedes Plutonis acerbi,
Dum ferus Eoi moderamina maxima regni
Gesserat adiecto ter denis mensibus anno.
Corpus humo, & postquam Mahometus reddidit atro
Diti animam, venitq; lacus Plutonis ad imos,
Imperij geminis liquit moderamina natis;
Qui decertantes summa de fasce coronæ,
Mutua concurrunt furibundi in vulnera fratres.
Sed Baiatzetes communi voce potentum
Imperij Procerum, solio consedit auito
Improbus, & rerum summas accepit habenas.
Hinc alter grauibus perculsus pectora curis,
Qui iuga nimbosi Tauri frondosa colebat,
Pamphiliumq; ferax, & amæna Lycaonis arua,
Stabat inops animi, & collecto milite fratris
Depopulatus agros, vastat ferus omnia flammis
Zizimus, inq; suam ditionem multa redegit
Oppida per fines Asiæ dispersa minoris.
At subitò fratris flammas compescuit atrox,
Castra Baiatzetus postquam contraria castris
Intulit, & postquam omni exutum milite, fratrem
Fœmineæ deuicta fugæ dare terga coegit:
Qui tandem ad sacræ deductus limina Romæ
Infelix dira clausit sua lumina nocte.
Hinc modò Sultani collectis viribus omne
Inuadit Regnum, atque auersis vndiq; prædis,
Per scelus atque nefas Memphitica proterit arua,
Argolicasq; atrox euertit funditus vrbes,
Templa, aras, delubra, à sedibus eruit imis,
Et seruile iugum miseris impingit Achiuis.
Denique Christicolûm satiatus cæde Tyrannus,
Cùm tandem posito tantorum fine laborum
Ad patrios senui efocos optaret anhelus:

Ecce minor natu rigidis ad prœlia Parthis
Instructus Zelimus, requiemq; morámque perosus
Intulit arma suis propriis popularibus, atque
Cum Duce Parthorum pactus noua fœdera, patrem
Pellere decrepitum regno conatur: at alter
Interea patriis passim grassatus in agris,
Atque Asiæ populis circum in sua iura redactis,
Oppida multa sua pressit ditione molesta.
Sed Zelimus procerum sibi conciliare fauorem
Cœperat officiis, patrióque inquirit in annos
Improbus, & misero præbet fera toxica patri,
Quæ penitus imos sæuè grassata per artus
Infima læthifero laniarunt viscera morsu.
Vnde feros adiit manes, & Tartara nigra,
Adiecto postquam sex lustris efferus vno
Imperij summas Turcarum gesserat anno.
Munera vix tumulo Selymus suprema paterno
Soluerat, atque suo vix iusta feralia patri:
Agminibus fratrem iunctis prostrauit in oris
Cappadocum, victor Bithyniaq; arua subegit:
Quattuor & iussit natos ex fratre minores
Ante suos oculos multa feritate necari.
Quin & Acomathi fusis certamine Persis
Guttura perfringens laqueo, cum lumine vitam
Abstulit, atque animam nigras demisit ad vmbras:
Deprensumq; Ducem qui celsa cacumina Tauri
Incoluit, rapit, & caput à ceruice reuelli
Iussit, & ad nigros animam migrare parentes.
Et summo applausu ingressus turrita Damasci
Mœnia palmiferæ, Assyrios, Syriosq; beatos
Atque Palæstinos, Panchæaq; rura subegit.
Multaq; cum duris commisit prœlia Alarbis
Atque Tomombæo confregit guttura fune.

Iamq́ ferebatur Memphitidos vrbis adusq́;
Ardua rugosis surgentia mœnia palmis:
Altáque vastabat prædiuitis ostia Nili,
Per varios populos referens sua signa cruentis
Victorum spoliis circundata: sic ferus omnem
Protinus exuerat veræ pietatis amorem
In tantis opibus. Demum & fraudésque dolosq́;
Crescentis nati veritus, ne bella moueret,
Ceperat in proprium velut impius ipse parentem,
Munera transmittit iuuenis in fata, biformis
Qualia post Nessi vulnus lethale, relicta
Incauto misisse viro Chalidonia fertur.
Sed iuuenis fraudes deludens arte paternas
Munera spumosis fallacia tradidit vndis.
Hincq́ senex, vitam ducens post bella quietam
Vulnere tabifico contracto in renibus, omne
Et vitium, atque animam simul exuit improbus, atque
Læthæos adiit fontes, & transtra Charontis,
Postquam felici fortuna messibus octo
Imperij Scythici summas tractasset habenas:
Et regni arripuit natus moderamina eodem
Ferme anno, occiduo quo Cæsar in orbe creatur
Carolus eximium decus atque hoc nomine Quintus.
Hic agnus veluti primis iuuenilibus annis
Successit rabido, si vera est fama, leoni:
Nam iuuenis, & adhuc rerum crescente iuuenta
Nescius, ingenio tranquillo præditus, omnem
Sæuitien posuit, primumq́ fauore benigno,
Et pietate vsus, rexit virtute paternum
Imperium, populum tranquilla pace gubernans.
Sed postquam pubentem animum furiale venenum
Regnandi, & fragilis tumefacta superbia sceptri
Corrupere, feri tum noxia crimina patris:

Ad patrios animum mores accommodat, vnde
Gazellem Syriæ præfectum lumine vitæ
Atque omni exutum spoliauit milite, regnis,
Non veritum Domini iuratam fallere dextram.
Quódque suus proauus frustra tentauerat olim,
Phœbæamq́; Rhodon, Telchiniaq́; arua subegit.
Hinc modò Pannonias grassatus cæde per ambas
Diruit exculti Belgradi mœnia, latis
Danubij munita vadis, Sauiq́; fluentis.
Obuius ire cui parua comitante caterua
Nititur infelix Rex Ludouicus, iniquis
Inductus fatis, rerum malè conscius, optans
Magnis perpetuam factis extendere famam.
Cui puerilis adhuc ætas, & inutilis armis
Tum fuit, & paruæ iuuenili in corpore vires,
Quàm qui tanta manu gereret tam mollibus annis.
At Solymannus atrox instructus milite multo,
Facta effrenati iuuenis temeraria ridens,
Omnia degeneri formidine sauciat, atque
Tristia per laceros proiecta cadauera campos
Dilanianda feris per summa opprobria præbet.
Perfidus, & regno Budanam protinus vrbem,
Adiecit, vicosq́; sitos ad fluminis oram:
Atque graues Regum statuas ex ære rigenti,
Vt suspensa tholis templi donaria, iussit
Auferri, atque intra Byzanti mœnia victor
Constitui validis palam in fora aperta columnis.
Hinc ratus Austriacæ proscindere celsa Viennæ
Mœnia, stipato gelidi consedit ad vndas
Agmine Danubij: & violento pectore martem
Indomitum spirans, latè ingruit vndique, & atro
Ferro, atque igne, nouo & populatur cuncta furore.
Elatusq́; suis factis, factisq́; parentum,

Excruciat miseros infanda strage colonos.
Germanos etenim fœda decernere pugna
Verborum audierat, studiisq; ardere nefandis
Irarum, atque odij, propriumq; lacessere martem.
Sed simul ac Cæsar certum nimis vrbibus audit
Exitium impendere suis, gladio, igne, rapinis
Omnia confundi, nec non confinia tantùm,
Verùm aliena etiam prædæ illius esse maniplis:
Ocius occiduis socias à finibus vsque
Sollicitat vires properans, omnesq; propinquas
Auxilio implorat gentes, regesq;, ducesq;,
Ignotos, notósque, fidemq; & sacra professos
Relligione pia Christum, secum vndique vt instent
Communem hortatur propellere finibus hostem:
Et fratrem in belli socium sese addere casus
Iusserat in dubios, vel cum discrimine vitæ
Vsque sub extremum pulchro se offerre labori.
Ergo iter accelerant, properantq; per ardua longè
Norica castra citi, atque instructis ordine turmis,
Illico in Hungariam, atque palatia culta Viennæ
Mille cataphractos equites duxere, deinde
Post armaturæ leuis omni ex gente coactam
Innumeram secum peditumq; equitumq; cohortem.
Quem simul vt sensit Solymannus Turca paratum,
Et procul incubuit rumor venientis, & acris
Fama Ducis, belloq; inuicti Cæsaris agmen
Pugnandi cupidum nunc ingruere vndique latè:
Ilicet attonitus tanta formidine Turca
Incipit ipse suæ multum diffidere parti.
Ocius vnde parat lectas ex agmine toto
Turmas, atque Duces timidus rapere inde citatos:
Et positis animis, & duræ robore mentis,
Tam citò sopito bellandi pectoris æstu.

Turpiter à cæptis, & vano destitit ausu
Mæstus, & occultæ sublustri noctis in vmbra
Ignotos metatur agros, patriámque requirit.
Post hæc cum leuibus committens prœlia Persis,
Obsidet ingenti Assyriam Babylona phalange.
Hinc putat Italiæ felicia regna potentis
Imperio cessura suo, ferus omnia tentans
Rostratis Venetûm proscindit claßibus æquor.
Ipsa hostem Corcyra suum breuis Insula sensit,
Iactaret laceram dum incendia dira per Vrbem:
Bacchica Theseæ senserunt littora Naxi
Marte sub aduerso truculenti damna latronis.
Ipsa Paros, lachrymisq́; suas Aegina ruinas
Luxerunt Scythicis factæ prædonibus esca.
Hunc contra affari, & crudeles cernere vultus
Præsenti quondam mihi contigit, atque minantem
Immitem in nostros rabiem exercere rapinas;
Dum petiit sæui Byzantia mœnia Turcæ
Insigni virtute potens Veltwichius heros,
Cæsaris Augusti commissa negotia portans.

ASIA MINOR, NATOLIA, 79.

POSTQVAM *dira lues, Geticæ fœdißima gentis*
Colluuies, seruile genus, ditißima quondam
Regna Asiæ inuasit, fœdè grassata per ambas
Cappadocumq́; oras, Cilicum & campestria rura,
Lataq́; Paphlagonum, Pamphyliaq́; arua, propinquæ
Tum Lyciæ, Cariæq́; sinus, Phrygiæq́; potentis:
Hanc Asiæ partem patrio sermone vocauit
Natoliam, æquoreis quod cùm primùm exerat vndis
Phœbus equos radijs primis hic permeat orbem.



Natoliáſque ſuo terras aſpergine roret.
Terminat Euxinis hanc partem Boſphorus vndis
Thracius, & variis vndis agitata Propontis.
Adiacet huic Phœbæa Rhodos, triſtiſq́ recuſat
Ipſa referre ſuas quinam ſubuerterit arces
Impius in Chriſtum Solymannus Turca profeſſos.

PALÆSTINA, *80.*

SANCTA *iacet tellus, ſanctis circundata ripis,*
Pulchra ſitu Regio, & rerum vbertate redundans:
Inclyta Iudæis promiſſa nepotibus olim
Terra, Syonæis nitidiſsima rupibus, alta
Quà iuga odoranti Libani ſublimia tangunt
Nubila, & vmbroſæ ſpirant opobalſama ſyluæ.



Hanc Deus eiectis stabiliuit gentibus olim
Dux Iacobe tuo generi, voluitq; relinqui
(Propter clara sui Solymorum nomina templi)
Electo rerum populo moderamina summa.
Occiduum cuius claudit latus æquor apertum
Illuit Idaliam flauo quod gurgite Cyprum.
Ipsa Tyros Boreale latus, pinguisq; Sarepta,
Et Cadmæa Sydon Getulo murice clara,
Tum longa ceruice Syrus pro limite seruant.
At petrosus Arabs sub solis lumine feruet
Diues & auroræ solium Nabathæa recludit.

ÆGY-



FERTILIS *Aegyptus rerum medicamina mista,*
Optima quæque, simul deterrima plurima profert:
Irriguus per quam septeno flumine Nilus
Labitur, & totam fecundat fluctibus oram;
Alcayrumq́ vagis præstantem dotibus vrbem
(Vt perhibent) Nili quondam Babylona vocatam
Non procul à Delta fluuio perfundit amœno,
Et binis Deltæ regionem continet vndis:
Post Pelusiacis Asiæ vicina profundis,
Pellæiq́ Afros iuuenis disterminat vrbe:
Et modò limosis sitientes turgidus vndis
Cedriferis paßim positos in collibus hortos
Sole sub ardenti potat, cùm copia aquarum
Cælestûm non vlla datur, cùm Sirius ardens
Afflat anhelantes æstiuis ignibus agros.

Hic

Hic quoque pyramides vaga vertice nubila tangunt,
Conditaq́; asseruant crustato marmore Regum
Corpora balsameo multum fragrantia pingui.
At Ptolomæa Pharos succensa lampade seris
Nocte procul nautis lumen demonstrat amicum.
Vt verò quondam varia sub imagine rerum
Plurima gens coluit portenta hæc, sic quoque Legum
Aequarum fuerat cultrix iustißima. sed nunc
Contempto veri soteris dogmate Christi,
Exuit atque fidem, & veræ pietatis amorem:
Et contra, magni Mahometem numinis instar
Rèlligione recèns exorta, instanter adorat.
Clauditur hæc Libyæ deserto, Araboq́; Profundo,
Tyrrhenoq́; mari, & calida regione Bugiæ.

ABISSINORVM SIVE PRESBYTERI IOANNIS IMPERIVM, *82.*

ADIACET *Aegypto minus hospita solis ob æstum*
Terra duas vno messes quæ colligit anno:
Monstris plena feris, & Tigribus horrida sæuis,
Pantherisq́; auidis, rapidisq́; Leonibus atque
Anguibus immensis, cristisq́; insignibus hydris.
Quæ quondam patrio est idiomate Abißina dicta,
In varios diuisa sinus, quos Nilus amœno
Flumine descendens Lunæ sub montibus altis,
Vallibus & variis, variisq́; paludibus ornat:
Per mediumq́; secat. Stat Nubia clara sinistra,
Diues opum, argentiq́; potens, auriq́; fodinis.
Presbyter at Ianus dextra, terraq́; mariq́;
Imperium exercet, populumq́; in pace gubernat,
Sacraq́; verbigenæ obseruat mysteria Christi

Christicola,



Christicola, atque crucem Christi Soteris adorat;
Psalmographique sibi sacro baptismate tinctus
Accepit nomen cum Relligione verenda.
Carne venenata serpentum pastus, & atro
Sanguine vipereo Arctoa sub parte cauernis
Seruat Hyperborei Troglodyta flabra Bootæ,
Inq; vicem humanæ (quis credat cuncta?) loquelæ,
Stridula fibratis effundit sibila linguis.
At Blemij capite & tereti ceruice carentes,
Lumináque, & toruos gestantes pectore vultus,
Deuergunt Austri tepidum feruentis ad axem.
Adiacet his tenuis, solis surgentis ad ortum
Insula, Zocotora antiquo quæ nomine dicta

Inſignem profert aloen, malè ſana potentem
Corpora peſtiferis morbis humana leuare,
Et ſecreta Deûm, & funeſta retexere fata.
Terra feris ſæpe eſt circum vaſtata locuſtis,
Omnia quæ ſæuo decerpunt pabula morſu;
Vt gens, cæruleo quam torrida Zona colore
Tingit, adacta procul fuerit transferre penates.

CARTHAGINENSIS PORTVS, 83.

PVNICA *Regna vides, magnæ Carthaginis arces,*
Pœnus ab antiqua quà quondam Barbarus vrbe
Annibal Auſonias fœdè vaſtauerat vrbes.
Quæ decus Imperij Romani Carolus olim,
Totius Europæ collectis viribus, atque
Chriſticolûm iuſſu, & communi voce potentum

Romani Imperij Procerum, non segnis auitæ
Protector fidei magno conamine vicit:
Turmatimq́, simul voto, rebusq́ potitus,
Tunetam victor patefactam irrupit in Vrbem:
Turrigeráſque arces ſaxoſi in littoris ora
Conſtituit prudens, quas circuit æquoris vndis.
Vtq́ vorax fuerat quondam gula dicta Profundi,
Obuia quòd raperent furioſi cuncta Latrones
Vndique pandentes patulo caua guttura rictu,
Sic tenuit rapida nomen à fauce Guleta.

BARBARIA, 84.



TERRA *potens opibus, nullarumq́ indiga rerum*
Barbaria, accliuis quæ collibus vndiq́ cincta,
Fontibus & gelidis, & opertis gramine campis,

Ad mare Tyrrhenum montes extollit opacos.
Planities at culta, frequens quæ robore Citri
Perpetuò frondosa iacet sub collibus alti
Atlantis, celsi subiit qui pondera cæli:
Munera rurecolæ Cereris, & munera Bacchi,
Palladias baccas semper frondentis oliuæ,
Malaq; cum palmis rugosis punica profert.
Quattuor in partes diuisa hoc tempore, Fessam,
Tunetumq; tenet, Tremesináque prata, Marochum,
Quæ partim Hispanos, partim felicia regna
Italiæ Hetrusci spectant per cærula Ponti.
Interiora tenent Numidæ, quos solis & æstus
Et ieiuna fames, propriis de finibus actos,
Sæpius ignotas gentes, aliásque coëgit
Scrutari terras, atque altera quærere regna.
Hic quondam (Imperium geßit dum Roma) Iugurthæ
Regna fuere, prius Marius quàm victor opimos
Duceret ex victis pallatia ad alta triumphos.
Circum mille iacent diffusa per æquora terræ,
Italiam latis resecant quæ finibus ora
Barbariæ, quarum prisco sub nomine pars est
Excidiis deleta feris, aut fluctibus Alti.

FINIS.

INDEX TABVLARVM HVIVS OPERIS
SIVE INSCRIPTIONVM
EARVNDEM.

FINIS.

Charl. picteau